



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Disputatio IX. De prædicamento substantiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

546 Disp. IX. De prædicamento Substantiæ,

plures essentia simul coniunctæ quæ sunt sine dubio vnum per accidens, in prædicamentis autem licet ponantur entia per se accidentalia, non tamen ponitur ens per accidens, quia singula prædicamenta sunt pro singulis essentijs, & distinctæ genere essentia sunt in distinctis generibus prædicamentorum.

20 Dices, aurum factum arte chimica est aurum artificiale, quia arte factum est, & nihilominus est ens per se, & est vna essentia, quia est eiusdem essentia cum auro naturali; unde tam directe ponitur in prædicamento sicut aliud: ergo falso excluditur artificium à prædicamento.

21 Respondetur cum evidentia, & sine dubitatione, aurum chymicum, tam quoad substantiam, quam quoad compositionem omnem substantialem esse naturale non artificiale; nam & substantia est eiusdem rationis cum substantia auri naturalis, & principia compositionis substantialis sunt naturalia, & compositio ipsa substantialis est naturalis, quia est vno actus, & potentia naturalis, solum igitur dicitur aurum artificiale ratione preparationum antecedentium, & ratione applicationis activorum passivis, vel modi disponendi; modi enim illi præparandi materiam, & inducendi dispositiones ad aurum producendum sunt ab arte excogitati, & distincti à modis naturalibus, quibus aurum produci solet à natura, quocirca aurum chymicum quæ naturalis, non quæ artificiale ponitur in prædicamento.

22 Sexta conclusio: æquivoca, analogæ, & complexa non ponuntur in prædicamento directe: probatur, prædicamentum est prædicatum, quæ æqualiter de inferioribus prædicantur, ac proinde quæ sunt vel genera vel species: atqui æquivoca analogæ, & complexa non sunt genera neque species, quia non sunt universalia ex eo quod non habeant unitatem simpliciter quæ requiritur ad universale simpliciter, cum habeant simpliciter pluralitatem: ergo non sunt in prædicamento. Præterea, quia prædicamenta ordinantur ad distinguendas res inter se: sed æquivoca, complexa, & analogæ hanc distinctionem non habent: sed potius confusionem, cum sint plura quasi permixta; ergo. Deinde Aristoteles prius divisit ens in complexum, & in incomplezum, & postea incomplezum subdividit in decem prædicamenta, per quod evidenter colligitur Aristotelem exclusisse complexa à prædicamentis.

23 Hic nota complexa esse in duplici differentia, quædam constant ex naturis diversarum prædicamentorum iuxta exigentiam diversarum rerum, quas includunt ut homo albus, quod complexum secundum primam partem ponitur in prædicamento substantia, quoad secundam vero in prædicamento qualitatibus. Alia complexa sunt, quæ constant ex partibus eiusdem ordinis ut animal rationale, & hæc complexa secundum genus ponuntur directe in prædicamento, indirecte autem secundum differentiam.

24 Ultima conclusio, voces non ponuntur in prædicamento etiam ut significativæ rerum: probatur, quia illa ponuntur in prædicamento, quæ subiiciuntur, & prædicantur; sed voces ut significativæ rerum non subiiciuntur, & prædicantur ut de se pater; ergo res illæ significatæ per voces, non vero ipsæ voces ponuntur in prædicamento, data opera dixi voces ut significativæ rerum non poni in prædicamento, nam si de

illis ut sunt quædam qualitates naturaliter procedentes ab agente naturali, agamus per se in suo prædicamento collocantur, & idem est de conceptibus; Item illud ponitur in prædicamento quod est prædicatum essentiale individui: sed voces, & conceptus non prædicantur essentialiter de individuo, ergo non ponuntur in prædicamento directe.

Omnes conditiones requisitæ ut res in prædicamento ponantur his versibus continentur.

Vox una, & simplex rebus concinna locandis,

Entia per se finita, realia, tota.

Vox vna, id est, res univoca: simplex, id est, 26 non complexa ut aliquis homo; Entia per se finita, id est, quæ habent genus, & differentiam: Realia id est, quod non sint entia rationis. Tota, id est, quod non sint entia incompleta.

DISPUTATIO IX.

De Prædicamento Substantia.

QVÆSTIO I.

De acceptionibus huius nominis Substantia.

NE dum loquimur sermonemque textimus de rebus in nominum ignorantiam dilabamur, ut sapienter docet Hilarius lib. de symo tom. 6. opera prætorum duxi huius nominis, substantia, acceptiones, & significationes enotare, ut ipsorum face præeunte, clarius, dilucidius, ac evidentius mysteria, difficultatesque rei per ipsum nomen significatæ rimemur, ac enucleemus.

Primo sumitur substantia pro principio seu fundamento rei, & ideo substantia dicitur primum ens, & non aliquid ens: sed simpliciter ens. Averroes legit loco illius nominis, primum fundamentum omnium entium, id est, ens cui innituntur, & fundantur omnia, à quo tanquam à principio dimanant modi, & accidentia, quod aperte tradit Aristoteles lib. 7. metaphysicæ cap. 1. rursus lib. 2. ethicorum ad Eudemum omnes sperandorum substantia rerum: unde secundum mentem Anselmi, & Divi Thomæ; imo omnium scholasticorum, ut bene adnotat P. Suarez tomo de fide, disp. 6. sec. 3. fides vocatur substantia rerum, quia est fundamentum spei, quia nomen hypostasis, quæ habetur græce loco substantia proprie significat fundamentum, seu substantiam quatenus substat alijs, & quia proprium est fidei fulsire spem, non posset enim homo sperare nisi crederet, ideo certitudo fidei proportionata est certitudini fidei, & hoc etiam significat Augustinus, qui locis citatis ait legis fidem esse substantiam sperantium, nam est veluti baculus, in quo viatores nituntur ad sperandum, & quoniam huius vitæ quasi velocissimi fluminis cursum transmeant felicissime, eo modo quo sanctus Iacob, Genesis 32. dicebat in baculo meo trans-

vi Iordanem istum.

Secundo accipitur substantia pro essentia, & quidditate rei, ut patet ex Aristotele 6. *metaphysicorum* text. 15. & text. 20. his verbis, quidditas uniuscuiusque substantia dicitur esse, & c. huius libri in definitionibus univocorum, ubi sic ait univoca sunt quorum nomen est commune, ratio vero substantiae omnino eadem, id est, ratio essentiae, quod confirmat 5. *metaph.* cap. 8. text. 15. & eodem sensu utitur Sanctus Thomas in commentariis eiusdem loci, & de potentia quest. 9. articuli. 1. ad 4. & 5. & lib. de ente & essentia, & multis aliis in locis, & hoc sensu decrevit Innocentius Tertius in Decreti unam substantiam, id est unam essentiam, in Concilio Lateranensi cap. firmiter, & cap. damnamus. Item Martinus Papa 1. in decretis synod. cap. 1. & Concilium Toletanum 6. cap. 1. & Concilium Toletanum 11. in professione fidei, column. 1. Nazianzenus in viroque tractatu de fide, oratione 49. & 50. eodem sensu utitur Chrysostomus tom. 5. homilia 1. in symbolum Apostolorum, prope medium, & homilia 5. de incomprehensibili Dei natura, column. 2. & tom. 30. ubi ait in Deo esse unam essentiam seu substantiam. Athanasius eadem significatione usurpat hoc nomen substantia totis quinque orationibus contra Arianos.

Apud Iuriconsultos autem sumitur substantia varie, nam aliquando usurpatur pro bonis, & facultatibus, leg. 51. ff. de per. har. l. 3. §. si servus, ff. de contr. tur. & vil. al. l. 1. 4. §. parvi, ff. de honor. lib. 1. 3. §. nunc videmus, ff. de suspect. tut. l. 4. C. qui bon. eod. poss. & aliis locis.

Substantia etiam sumitur pro statu rei secundum glossam in l. Iulianus 9. §. si quis in verbo ad substantiam, ff. ad exhibendum.

Aliquando substantia accipitur pro specie, ut patet ex text. in §. quod si frumentum, ibi, quia singula corpora in sua substantia duranti id est, in sua specie inst. de rer. divisione.

Aliquando etiam sumitur pro causa ut patet ex text. in l. rerum, §. fin. ff. de iur. cap.

Tertio usurpatur substantia pro subsistentia, supposito, seu persona, quam significationem tradidit Aristoteles 5. *metaph.* text. 15. quem sequitur S. Thomas 1. p. quest. 29. art. 2. in corpore. S. Bonaventura in 1. dist. 2. art. 2. eodem sensu utitur hoc nomine vulgatus interpres ad Hebraeos 1. nam quod graece dicitur caracter, hypostasios, vulgatus interpres transtulit, figura substantiae, ubi substantiae nomine personam patris intelligunt plerique Patres, praecipue vero Nissenus in lib. de differentia visae & hypostasis, Chrysostomus homil. 2. column. 1. & 2. in ad. heb. 1. Liberius Papa epist. qua in recentioribus Conciliorum editionibus est 10. ait Trinitatem esse sub una hypostasi, non enim inquit disperitur Filius, aut Spiritus sanctus à patria hypostasi, quae implet coelum, & terram; est igitur ut dixi Trinitas in una hypostasi non divisa sed per essentiam una, nam in codice graeco latino Athanasij legitur hypostasis quoties interpres vertit substantia. Rusticus in disp. contra Aetios inter principium, & medium, ait hypostasis seu substantia interdum personam significat, nonnunquam vero substantiam, in sancta enim synodo Ephesina utrumque monstratur, probat adducto testimonio Cyrilli, qui epist. 3. ad Astorium, ait, anatematisino 3. si quis post unionem hypostasis in Christo distinguit ea, quae dumtaxat conjunctione eadem inter se neceat quae est secundum dignitatem, & auctoritatem, & non ea potiusque R. P. Ideph. de Petascel. Theol. Schol. Tom. 1.

est secundum naturalem unionem anatematis sit. Sic ille, cum igitur ex fide constet, & ipse Cyrillus ubique fateatur unam tantum personam in Christo Domino, consequens est ut hypostases coniunctas pro naturis, aut substantiis duabus hoc loco Cyrillus acciperet, quod evidens esse putat Rusticus.

Quarto magis stricte, & proprie sumitur pro entitate, quae non est accidens, iuxta quam significationem proprie non convenit praedicamentis accidentium; itaque in hac significatione substantia pro ente quod non existit in alio tanquam in subiecto, sed in se subsistit, sumitur, quodque vocatur ens per se, & non inhaeret in alio, sed potius inexistit tanquam primum in constitutione rei, & sine alicuius adminiculo sustentatur, & in hac acceptione usurpat hoc nomen Athanasius in disp. contra Arium habita Laudicia, ubi suppositum se disputare de illo substantiae genere, quo unaquaeque natura ob id quod est, vel subsistit substantia nuncupatur. Sic indicavit Hilarius lib. de synodo col. 6. substantia, vel essentia est res quae est, vel ex quibus est, & in eo quod maneat subsistit, dici autem essentia, & natura, & genus, & substantia uniuscuiusque rei poterit (& postea subiungit) quae essentia idcirco substantia est, quia res quae est necesse est subsistat in se se, quidquid autem subsistit, sine dubio in genere, vel in natura, vel substantia manet; in hoc sensu, quia in Deo nullum est accidens tota eius essentia adaequate est substantia, quamvis autem antiquissimi Patres Deum non esse proprie substantiam propterea dixerint, quia non subsistat accidentibus, nihilominus praetermissa nominis etymologia, quantum ad rem ipsam significatam Deus propriissime substantia est, non solum propter essentiam omnino distantem ab accidentibus, sed etiam, quia solus Deus in suo esse maneat, nec ope subsistat aliena, ut sapienter observavit Ambrosius lib. de incarnatione, Pheadius Galliarum Episcopus lib. contra Arianos dicens uni soli Deo competere substantiae definitionem, quod propria intra se virtute subsistat, hoc modo inquit Gregorius Tolosanus proprie Deo nomen substantiae competit, quia per se, in se, & ex se subsistit, & nullis accidentibus subsistat, vel subiicitur, in Deo enim, quod illi inesse dicitur idem est quod Deus, tantaque simplicitas, & puritas in eo effulget, ut nihil sit in eo quod ipsa non sit, & totum quod in Deo est unum est sine compositione, ut scribit Divus Hilarius lib. 7. de Trinitate, & lib. 8. item, & Boetius 1. de Trinitate, sic ille, quam ob rem si substantia consideretur in Deo, illa est non tanquam subiectum alicuius, quasi aliud sit quod ibi accidat, aliud quod subsistat, sed quidquid ubi intelligi potest ipsa substantia est, ut admonet Divus Aug. lib. de fide, & symbolo, sic itaque in Deo per substantiam designatur naturae, & essentiae unitas, & simplicitas, ut idem Divus Augustinus tradit tom. 9. lib. de cognitione verae vitae, cap. 11. & haec est etiam communis vocabuli substantia acceptio, quod & in lib. demonstrationum, docet Galenus, & tom. 1. lib. 7. de placitis Hippocratis, & Platonis, definit eo modo substantiam dici uniuscuiusque rei optimam naturae perfectionem, quae definitio facilem cognoscendi substantiae regulam rudibus praebet.

Haec autem cum sit una multas habet facultates non simul, & semel, & in eodem contrarias.

Z z z 2 sed

comprehenditur, cum & stare, & sub alio esse significet, stare autem est quasi propria virtute inniti, & non indigere alio subiecto à quo sustentetur, itaque in hac significatione substantia, & per se, & in se stat, id est sua substantia fulsit, sicut domus fulsit fundamento, & animal suis pedibus innitur.

Alia est quasi respectiva seu respectu alterius, quia est in ordine ad accidentia, quatenus sustentat ipsa, quæ ratio indicatur per particulam *sub*, nam substantia in tantum substat in quantum sub accidentibus est, ut ipsa conservet, quare ipsa accidentia inniuntur substantiæ ut ab ipsa sustentetur, unde in hæc in substantia sunt, & ideo substantia est quasi basis, & fundamentum cuiuscunque rei accidentalis, unde ipsa substantia debet per se, & in se stare, & esse primario id cui alia inniuntur, nam si staret in alio iam non staret simpliciter ut stat, & sic, ut diximus, substantia hæc duo debet habere, & stare per se, & esse sub omnibus accidentibus, hæc ultima ratio licet videatur prima nominis derivatio, si eius impossibilitatem, quæ ex nostra cognitione procedit spectemus (nos enim ex accidentibus progredimur ad cognitionem substantiæ, per habitudinem ad substantiam accidentibus eam primo concipimus) nihilominus tamen non est primaria substantiæ ratio, neque ita universalior ut comprehendat omnes substantias; nam Deus perfectissima substantia est, & nihilominus accidentibus non substat, quia nulla accidentia in Deo reperiuntur ut supra diximus, quia quidquid in Deo est, Deus est; ratio igitur perfectissima, & primaria substantiæ in propria definitione explicabitur.

QVÆSTIO II.

Quid sit substantia, quæ est caput prædicamenti substantiæ.

PRIMA conclusio, substantia illa positive sic definitur: est ens completum finitum, seu creatum per se existens. Ens completum creatum ponitur loco generis, quia in esse entis completi creati convenit hoc prædicamentum cum cæteris prædicamentis accidentium. Existens per se ponitur loco differentiæ, quia solum huic prædicamento convenit per se existere.

Explicatur hæc ultima particula, dupliciter autem dicitur aliquid existere per se, vel in septimo, quia in alio non existit ut in subiecto, hoc est nulli subiecto nititur, vel à nullo sustentatur, quia independentem ab alio existit; dependere enim ab alio est per aliud non per se existere, & hoc modo tam substantiæ creatæ, quam increatæ convenit per se existere, quia ita in se existit ut nulli subiecto nitatur, quo sensu partes etiam substantiales per se existunt, nam etiam possit existere substantia in alio, ut in subiecto tamen in hæc in (eo modo quo existit accidens in proprio subiecto), non potest existere in alio; nam hic modus essendi tollit absolute rationem substantiæ, quia proprie convenit ei rei, quæ est extra omnem latitudinem substantiæ, & nullo modo ad constitutionem illius spectat, imo est contra rationem substantiæ; at vero alij modi essendi in alio, scilicet ut in toto, ut

in supposito, & in constituto non tollunt rationem essendi substantialem, cum in humanitate, anima rationali, & cæteris substantijs perfectis repetiatur.

Alio modo dicitur existere per se aliqua entitas scilicet, quia illi debetur supposititas, de qua longe lateque à nobis agitur in metaphysica, ratione autem huius formalitatis distinguitur substantia completa creata, quæ est caput prædicamenti substantiæ tam à substantijs partialibus quam ab accidentibus, ab illis, quia licet debeatur substantiæ non debetur supposititas ab his, quia debitum supposititalitatis propter imperfectionem accidentium non reperitur in illis; accidens enim propter suam debilitatem, & tenuitatem non potest proprio essendi modo inniti ab eoque sustentari, sed necessario indiget subiecto à quo sustentari, foveri, & conservari possit, nam sicut est summa perfectio, infinitaque excellentia creatoris ut à se sit, in se existat, sine dependentia ab alio, & sine eo quod ab aliquo alio absolute conservatur, cuius non est capax creatura propter imperfectionem illius, ita in se, & per se existere sine dependentia à subiecto in hæc in, si non infinita nimirum, magna perfectio est, cuius incapax est accidens ut supra diximus.

Altero modo positive describitur substantia est ens completum sua perfectione superans omne accidens, substantia enim secundum suum conceptum est perfectio simpliciter simplex, quod non habet ex se accidens, quia multis imperfectionibus immixtum est natura sua, unde sine dubio substantia excedit accidens.

Negative definitur hoc modo substantia est ens completum creatum, quod in nullo subiecto existit, quia autem triplex modus existendi in subiecto est v. g. in hæc in, eo modo quo albedo existit in pariete, vel adhæc in, eo modo quo unio materiæ ad formam adhæret formæ, vel tandem informative, eo modo quo forma equi est in materia prima, ideo ut excludatur omnis modus existendi in subiecto ponitur illa particula in nullo subiecto existit, nam substantia completa ex vi propriæ perfectionis nullo subiecto indiget, quia ex vi suæ naturæ sibi sufficit, & sufficienter constituitur in eo gradu, à quo excluditur omnis indigentia subiecti, indigere enim illo indicat imperfectionem entis imperfectissimi, uti est accidens, & intra genus substantiæ modus substantialis.

QVÆSTIO III.

Quid sit substantia ut sic prope abstracta à completa, & incompleta, reali, & modali?

SECTIO I.

Placita Adversariorum ponuntur.

PRIMA sententia docet substantiā ut sic esse ens per se, & in se, id est, res ita firma, & constans ut possit substinere accidentia, hanc definitionem tradit P. Suarez in metaph. disp. 33. sect. 1. quam sequuntur multi neoterici, & probatur sic.

Zzz 3 Prima

550 Disp. I X. De prædicamento substantiæ,

26 Primo, quia illud est substantia quod omnino ab accidenti distinguitur, sed ens per se, quod potest substantia accidentia distinguitur ab accidenti ergo substantia est ens per se, &c.

27 Secundo accidens ut opponitur substantiæ recte definitur dicendo, accidens est, quod est ens in alio, seu quod dicit aptitudinem ad inherendum in subiecto; ergo est contra substantia ut sic propterea opponitur accidenti recte definitur supradicta definitione.

28 Divus Thomas 3. q. 77. art. 1. ad 2. ait substantiam esse naturam cui debetur ens per se, seu existentia per se, ut declarat eius Commentatores, hoc est ens subsistens, quod enim subsistit per se existit, in quo differt accidens à substantia, quia hoc non subsistit, sed existit in composito.

Tandem P. Hurtado, quem sequitur pene eisdem verbis Cerna asserit substantiam sic debere definitur, est conceptus quidditativus rei, quo durat, & res durat, ceteris omnibus aut mutatis, aut circumcisis, quo abscedente, & res perit, tametsi adsint cetera. Explico, inquit Hurtado. v. g. Petrus, aut hic leo, aut lapis habent nonnullos conceptus, quibus denominatur Petrus, leo, lapis, quantumcumque alios conceptus mutant; item si non mutant alios conceptus licet desint priores conceptus, iam nec sunt Petrus, nec lapis, nec leo: hæc habet §. 7. §. autem 10. substantia dicitur ens per se, nempe, quia per se, sive per suum conceptum constituit rem, quam absolute vocamus rem, scilicet hominem, aut equum, & quia rem per se constituit, inde oritur ea substantia durante non posse rem talem non durare.

29 Addit Cerna in Logica, disp. 3. quæst. 1. de substantia, art. 1. §. Ergo substantia simpliciter, & rigore loquendo est primus conceptus quidditativus alicuius rei, vel id quod constituitur per primariam essentiam, vel per primum esse, quod simpliciter dicitur talis; & §. Hinc infero, ait, quod essentia, & substantia in abstracto nullatenus differunt etiam ratione, nisi tanquam duo synonyma; patet, nam abstractum substantiæ est forma constituens illam ut abstracta ab habente talem formam, sed hæc est essentia ut dixi ergo.

SECTIO II.

Nostre sententia probatur.

30 Prima conclusio: Non omni substantiæ convenit definitio assignata à P. Suarez, & probatur, nam tria sunt quæ ex sententia Suarez in definitione substantiæ ut sic continentur, primo ut sit ens per se, & in se existens, hoc est, ut sit tam firma, & constans entitas, ut à se sustentetur, suæque perfectioni innittatur: ex qua sequitur secunda, ut nullo indigeat sustentaculo; tertia ut ex vi huius perfectionis sit capax sustentandi alia, accidentia nimirum, sed nec prima, nec secunda, nec tertia perfectio convenit omni substantiæ; ergo definitio in qua hæc tria continentur, non convenit substantiæ ut sic; ergo non erit recta definitio substantiæ; hæc secunda consequentia patet, quia quando datur per rationes, quæ minime conveniunt definito incongruit illi; illa prima consequentia sic probatur, quia definitio, quæ convenit superiori convenit omni contento sub illo, sed definitio tradita à Patre Suarez non conve-

nit omni substantiæ, quæ continetur substantia ut sic, tanquam sub superiori; ergo non convenit substantiæ ut sic, quæ est superior illius.

Minor prima quoad primam partem probatur, & nam forma materialis est substantia absolute, & simpliciter, & nihilominus non innittitur propriæ perfectioni, nec in se, & per se existit in sententia Patris Suarez, sed potius indiget materia prima tanquam potentia passiva, cui innittatur, à qua cōferretur, & à qua sustentetur: In hoc enim distinguitur anima rationalis, quæ pure spiritualis est, ab anima equina, & materiali, & à ceteris formis mere corporis, ut sunt formæ substantiales lapidum, & elementorum, ceterorumque imperfectorum mixtorum, quod anima rationalis, sicut quia pure spiritualis est, non producitur dependentem à materia, sic non conservatur dependentem ab illa, nec ab illa fovetur, & sustentatur, forma autem materialis, sicut quia corporea est, educitur à potentia materiæ, & educi, est produci, & accipere de novo esse dependentem à materia tanquam à subiecto, ita propter eandem corporeitatem, & imperfectionem dependet à subiecto sustentante, & conservante illam, ut non minus miraculum sit conservare Deum formam lapidis, & animam equi separatam à materiæ, & à subiecto substantiali, quam est quod in Eucharistia sit, ex vi cuius accidentia separata à subiecto conservantur; unde sicut de accidenti non potest concedi quod in se, & per se existat, suæque perfectioni innittatur, quia dependet à potentia substantiali materiæ primæ in esse, fieri, conservari de forma materiali non potest dici quod in se, & per se existat, suæque perfectioni proprioque modo innittatur, & sustentetur, cum similiter dependeat in fieri, & conservari à subiecto, & præterea cum in sententia adversariorum forma lapidis non habeat substantiam, quæ est modus, & perfectio necessaria, sine qua res in se, & per se non potest sustentari, quibus patet non posse dici formam materialem ita esse firmam, & constantem in se ut existat in se, & per se.

Dices formis materialibus deberi quendam modum quo constituuntur existentes in alio substantialiter quod rationem substantiæ non tollit, tollit autem modus essendi accidentaliter.

Sed contra, quia responsio hæc non exhaurit in alio difficultatem; rogo enim quid sit existere in alio per modum partis, seu inadæquati constitutivi, certe id tantum formæ materiali non convenit, aliter enim est materia in composito, ac formæ materia enim etiam est tanquam pars, & inadæquatum constitutivum, & nihilominus non est in alio eo modo quo forma, quæ per informationem est in alio ut in subiecto, sicut accidens; rogo ulterius iterum quid sit esse in alio substantialiter, quod est petitio principij, id enim rogo, nam dubitatio est quid sit esse, & existere in alio substantialiter, & si dicas existere substantialiter esse non existere accidentaliter, sed hoc est in eadem saelebra hærrere; orabo enim identidem quid sit esse in alio non accidentaliter; si autem dicatur esse non accidentaliter, idem esse ac esse tanquam partem unam per se cum subiecto constituentem, adhuc remanet difficultas; nam accidentia cum modo inherentiæ, & materia cum partiali subsistentia entia per se sunt, cum tamen priora substantia non sint, & posterior non sit in alio per informationem, vel inherentionem, sed per receptionem. Deinde si rationem substantiæ inherensio ab-

soluta

solute non tollit, & accidentibus etiam inhæ-
re necessario convenit, explicetur in defini-
tione substantiæ, quæ illam ab accidentibus di-
vidat, nec dicatur absolute substantiam esse ens
per se, & in se existens.

33 Vergetur, quia substantia dubitans est; item,
& unio substantialis, & nihilominus non exi-
stunt tam perfecte & in se, & per se sine entra-
re cui innittantur, conserventur, & existant: er-
go falsum est dicere quod substantia ut sic, qua-
tenus comprehendit omnes substantias sit ens
per se, & in se existens; substantia enim recipi-
tur adhæve in humanitate, & unio in materia,
& adhæret formæ, quia cum modi sint, non
possint propria virtute inniti nec in se, & per se
subsistere.

Ultima pars minoris, nempe quod omni sub-
stantiæ creatæ ut sic conveniat sustentare ac-
cidentia, quodque his verbis asseritur à P. Suar.
in metaph. tom. disp. 32, sect. 1. §. ad 1. ergo. Hæc
vero explicatio supponit imprimis omnem sub-
stantiam creatam, & creabilem aptam esse sub-
stare accidentibus, quod alicui fortasse non om-
nino evidens apparebit, mihi autem indubita-
tum est, ut patet ex dictis sic à me impugna-
tur, quia multæ sunt substantiæ modales ut sunt
actio creativa Angeli, & generativa hominis,
cæteræque actiones substantiales. Item substi-
tencia, unio substantialis, &c. quæ sunt substan-
tiæ, & nihilominus non possunt substare acci-
dentibus, ut de se patet, quæ enim accidentia in
se sustentant unio substantialis, actio, &c. & ra-
tio est, quia hoc quod est substare accidentibus
duo dicit, ut ipse Suar. asserit aliud est stare in
se, & per se, aliud est esse sub accidentibus, ita
ut hoc supponat primum; nam ut substat, ut quod
ait Suarez primo debet stare in se, & per se, &
ideo accidentia, quia non existunt in se, & per
se licet sustentent alijs ut quo, non tamen substat
ut quod: sed modi substantiales non existunt in
se, & per se, nec stant in se: ergo non possunt
substare ut quod accidentibus, quod ait Suarez
esse solum proprium substantiæ. Confirmatur, quia
totum compositum substantiale est absolute sub-
stantia: sed in sententia Patris Suarez, quia acci-
dentia non subiectantur in toto composito, non
possunt substare illis, substare enim est sub esse ac-
cidentibus, illaque in se recipere; sed acciden-
tia non recipiuntur in toto composito, sed in
materia prima: ergo non omni substantiæ conve-
nit substare accidentibus.

Secunda conclusio: falsa est secunda opinio
absolute considerata, & ut ab adversarijs expli-
catur, quia substantia ut sic, non est illud cui de-
betur ens per se seu substantia, & probatur.

Primo, quia si de ratione substantiæ ut sic ef-
set debitum substantiæ, nulla esset substantia
cui tale debitum non conveniret subsisteretque
ratione illius secundum illud evidens axioma,
dici de omni: sed multæ sunt substantiæ in sen-
tentia D. Thomæ, quibus non potest convenire
substantia: ergo substantiæ ut sic non conve-
nit ex vi suæ definitionis, & essentiæ substi-
tentiæ; Minor sic demonstratur, nam forma lapidis,
& forma leonis, & forma equi, sunt absolute, &
simpliciter substantiæ, & his negat D. Thom.
substantiam his verbis 1. p. quæst. 45. art. 4. in
corpore, respondeo dicendum quod creati est
quoddam fieri, ut dictum est, fieri autem ordi-
natur ad esse rei; unde illis proprie convenit fie-

ri, & creati, quibus convenit esse, quod quidem
convenit proprie substantiis, siue sint sim-
plicia sicut substantiæ separatae, siue sint com-
posita sicut substantiæ materiales; illi enim pro-
prie convenit esse quod habet esse, & quod est
subsistens in suo esse, formæ autem substantiales,
& accidentia, & alia huiusmodi non sunt entia
quasi ipsa sint: sicut igitur formæ, & acciden-
tia, & huiusmodi quæ non subsistunt magis de-
bent dici concreata quam creata, proprie verò
creata substantia, ubi aperte negat D. Thomas
substantiam formis materialibus substantiali-
bus, quod idem confirmat, quæst. 90. art. 2. &
quæst. 100. art. 2. & quæst. 71. art. 2. & 3. & Caieta-
nus eisdem locis: ergo in sententia D. Thomæ
sunt aliquæ substantiæ, quibus non debetur sub-
sistentia.

Item in omnium sententia, unio quæ datur
inter materiam, & formam est substantialis en-
titas: sed hæc nullo modo potest habere substi-
tentiam, quia cum sit modus non potest esse
subsistens, cum petat necessario efficere duas
partes. Deinde, quia unio substantialis non po-
test creati cum essentialiter petat dependere in
esse, & fieri à subiecto: sed substantium est
creari, & fieri per creationem, ut ait D. Thom.
supra citatus 9. 45. art. 4. in corpore: ergo unio non
est subsistens alias posset creati.

Vergetur, quia substantia debetur reali sub-
stantiæ, ut v. g. est materia prima, aut forma spi-
ritualis, ut anima rationalis aut totum compo-
situm, non autem modale: sed unio substantialis
non est substantia realis, sed modalis: ergo unio
non habet substantiam, & est entitas substan-
tialis: ergo non omni substantiæ debetur illa; unde
nec substantia realis, sed modalis: videtur etiam
reali, & modalis; videtur etiam quæ contra Patronos
huius sententiæ adducit P. Hurt. in met. disp. 10.
de subst. sect. 4. quibus superfedeo libenter, quia
aut sunt contra inaudium insolitumque dicendi
modum, & quia possunt se se cuicunque vulgari
Philosopho offerre.

Tertia conclusio: sententia P. Hurt. ut ab ipso
absolute ponitur improbabilis est, quæ sic op-
pugnatur.

Primo, nam ipse explicans substantiam ut sic,
quatenus ab omni substantia tam completa quam
incompleta, tam reali quam modali abstrahit,
asserit substantiam esse ens per se, nempe quia per
suum conceptum constituit rem: atqui homo, Pe-
trus, Deus ut trinus, & vnus, hoc animal sunt
simpliciter, & absolute res, suppositum enim, &
prima substantia, & perfectissima, ac infinita sub-
stantia ut Deus est, & persona divina sunt simpli-
citer, & absolute substantiæ; imo prima substan-
tia, & maxime res est, & nihilominus nullam rem
absolute per suum conceptum constituunt, cum
supposita, & primæ substantiæ sint ultimo con-
stituta ad nullumque constituendum ordinem,
Petrus enim, & Deus trinus, & vnus nullam rem
sine dubio constituunt, & nihilominus sunt per-
fectissimæ substantiæ, & maxime tales: ergo male
definitur ab Hurt. substantia ut sic; siquidem ea
definitio ab Hurt. assignata non competit omni
substantiæ; siquidem non convenit omni sup-
posito, & Deo Patri æterno, Trinitati divinæ,
quæ perfectissimæ substantiæ sunt, cum nullam
rem constituent, bona enim definitio rationis
superioris debet competere omni inferiori, præ-
cipue perfectissimo omnium inferiorum, v. g.
Hæc

552 Disp. IX. De prædicamento Substantiæ,

Hæc esset mala, & incongrua definitio animalis ut sic est, vivens, sensibile, brutum seu irrationale, quia non competit omni inferiori ab eaque excluditur perfectissimum animal, ac inferius præcipuum animalis ut sic, quod est homo: ergo similiter non est bona definitio substantiæ ut sic, quia ab ea excluduntur perfectissimæ substantiæ quæ dictæ sunt in exemplis supra dictis.

Secundo asserit Hurt, substantiam ut sic esse ens per se, id est conceptus quidditativus rei; sed personalitates divinæ sunt perfectissimæ substantiæ, & non sunt conceptus quidditativus Dei; Paternitas enim si esset de quidditate Dei, quæ res est perfectissima, esset etiam de quidditate filij, quia quicquid est de essentia Dei, est de essentia cuiuscunque divinæ personæ, ut videre est in prædicato viventis, quod quia est de essentia Dei, est de essentia Patris, & filij, &c. ergo non omnis substantia est quidditativus conceptus rei, cum relationes divinæ sunt substantiæ, & non sint de quidditate Dei, qui res est ut diximus.

Deinde substantia creata non est de essentia hominis, quia ut supra late probatum manet, Deus assumpsit completam essentiam hominis, & non assumpsit suppositivam; & nihilominus homo est res, & humanitas est res, de cuius essentia non est suppositivitas, & ipsa suppositivitas est substantia: ergo falsum est dicere de essentia substantiæ esse quod sit quidditativus conceptus rei. Item unio substantiæ ad naturam est substantialis in sententia Hurt, quia est unio rei substantialis ad rem substantialem, substantia enim in sententia Hurt, non est modus substantialis, sed realis substantia, & nihilominus non est de essentia rei: ergo.

Urgetur, quia digitus est substantia, & unguis est substantia hominis, & nihilominus falsum est dicere esse de essentia hominis, & esse quidditativum conceptum hominis. Deinde gibba, quam Hispanice dicimus *Corcoba*, est substantia hominis, alias homo rectus, & pulcher non haberet essentiam integram hominis, cum illi deficiat gibba; male enim sentit qui asserit hominem gibbosum esse solum essentialiter, & integre hominem; unde miser maxime esset homo, qui sine fœditate, & monstrositate non esset essentialiter homo; unde Christus Dominus qui formosus præ filiis hominum erat, non esset homo, cum nulla ex his fœditatibus deformaretur.

Ex his ipsis contra tertium dictum Hurt, asserentis quo durat res durat, quo abscedente res perit, sic argumentor: abscedente ungue, & digito, non perit nec humanitas, nec homo, alias homo tonsus non esset essentialiter homo, & in manibus tonsoris essentiam hominis relinquere-mus, quæ sunt maxima absurda, & pili, & ungue, & digiti sunt substantiæ hominis; ergo male ait Hurt, dum asserit de essentia substantiæ ut sic esse ut ea abscedente res pereat.

Deinde quantitas, & albedo constituunt absolute rem, album enim ut album, & quantum ut quantum absolute res sunt, de quorum essentia ut sic sunt quantitas, & albedo, ita ut durantibus albedine, & quantitate in subiectis, durent album, & quantum, & abscedentibus pereant album, & quantum, & nihilominus nec albedo, & substantia, nec quantitas: ergo falso asserit, & definit substantiam.

Respondet Hurtado §. 8, sic: Hic lata admittitur æquivocatio, non enim nego albedine rem aliquam constitui cum constituatur album; sed dico hoc prædicatum album non variare prædicata quæ simpliciter conveniunt rei, nam res eadem perseverat cum albedine, ac sine illa.

Sed contra primo, quia album est simpliciter res: sed abscedente albedine definit esse album: ergo definit essentia albi: ergo definit, & variatur prædicatum conveniens rei simpliciter, quæ est album abscedente albedine: ergo nulla est Hurtadi responsio.

Urgetur, quia de essentia albi ut talis est albedo: sed album ut album est res simpliciter, & desinente albedine definit album ut album: ergo abscedente albedine definit essentia rei, & variatur res simpliciter in suis prædicatis.

Secundo, quia, vel quando Hurt, ait album non variare prædicata, quæ simpliciter conveniunt rei, loquitur non de omni re: sed de prima rei, id est vel de homine, vel de pariete, etiam ego dicam substantiam non esse substantiam, quia licet aliquod varietur, scilicet suppositum abscedente substantia, nihilominus non variatur prima essentia hominis, scilicet humanitas, nec pereunt abscedente suppositivitate prædicata essentialia hominis, & humanitatis, quæ est primum ens essentialiter per se, & prima adæquata essentia illius, quæ in humanitate consistit, nam eadem res perseverat cum substantia, ac sine illa, scilicet humanitas essentialiter completa, quia substantia cum sit terminus humanitatis, est extra essentiam illius, sicut enim abscedente frigore remanet manus complete in esse talis, licet non remaneat alia res simpliciter, scilicet frigidum, de cuius essentia erat frigus, sic etiam abscedente suppositivitate, remanet adæquata humanitas, & essentia hominis, quæ in illa solum adæquate consistit, licet non remaneat, & definit esse alia res, scilicet suppositum: sed propter illam variationem, ex eo quod primum durat abscedente frigore, non ideo frigus est substantia: ergo similiter propter istam variationem suppositi, ex eo quod durat primum ens, scilicet humanitas abscedente substantia, non ideo substantia erit substantia, nam sicut ad defectum substantiæ definit suppositum quod est res simplex, ita abscedente albedine definit res simpliciter quæ est album.

Item res simpliciter dicitur illud quod non est modus, sed vera realitas: sed albedo, & quantitas in Eucharistia separata à substantia, non sunt modi sed realitas: ergo sunt res simpliciter: sed prædicata superiora eorum, ut ens, & accidens, qualitas, &c. sunt de essentia horum, ita ut abscedentibus illis destruat albedo: ergo sunt quidditativus conceptus rerum, quibus abscedentibus, &c. ergo ex tua definitione sunt substantiæ: sed hoc est absurdum: ergo absurda tua sententia.

Dices accidens non dici simpliciter rem, simpliciter res est Petrus, leo, & homo.

Sed contra, quia anima ut sic, quatenus constituit hanc, & illam animam, est substantia, & nihilominus non constituit ex vi illius constitutionis Petrum hominem: sed partem illorum, quæ in tua sententia non sunt res, cum non sint Petrus, leo, & totum: ergo ut sit substantia, non est necesse ut rem simpliciter constituent, ut est Petrus, leo &c.

Deinde,

Quaest. III. Quid sit substantia vt sic. 553

Deinde, quia falsum asserit Hurr. quantitatem non esse rem simpliciter, cum simpliciter distinguatur a modo, & possit, & de facto separata conseruetur in Eucharistia; quod non eveniret nisi esset res simpliciter, praecipue quia omnes agentes de praedicamentis asserant tria praedicamenta substantiam, quantitatem, & qualitatem esse res, caetera autem aut modos aut denominationes extrinsecas.

Hoc totum sic convincitur, quia res vt sic simpliciter, & absolute habet suam definitionem; quatenus distinguitur a modo, quae non est alia in omnium sententia, adhuc in sententia Hurr. nisi quod possit consistere per potentiam Dei absolutam sine confortio alterius, quod non habet modus; quod his verbis asserit Hurr. in *metaph. disp. 11 de ente, sect. 1*, quo differant res, & modus, duo inquit generentium reperio, alterum potest in rerum natura divinitus existere, sine hoc accidente determinato, sine hoc loco, sine hac figura, vt Petrus sine albedine, sine vicatione Romanae, sine sessione; alterum ita affigitur alicui rei singulari vt sine illa nequeat divinitus consistere, vt actio vitalis Petri non potest esse in Paulo; & primum genus vocatur absolute res, ens, entitas. Secundum vocatur modus sive entitas modalis, sic ille, §. 32. ergo illud quod potest esse separatum sine hoc accidente determinato, sine hoc loco, sine hac figura, non est modus sed res absolute, & simpliciter; sed quantitas, & albedo possunt separari ab hoc accidente, ab hac figura, &c. ergo sunt simpliciter, & absolute res. Tunc sic, substantia est res simpliciter; ergo res simpliciter vt sic convenit illis, sed non est praedicatum transcendens, quia differentiae non sunt res, sed modi; ergo univoce in sententia tua conveniunt quantitas, & substantia in esse rerum: ergo quantitas est res simpliciter, sicut equus est animal simpliciter, quia univoce convenit cum homine in esse animalis, quod sic probatur.

Quia vt diximus quantitati convenit tota definitio vt sic rei simpliciter, & absolute cum possit esse separata, &c. & idem est de albedine, sed accedens materiale qualitas est quidditativus conceptus primum albedinis; & quantitatis secundum solum albedinis ergo accedens, & qualitas sunt quidditativus conceptus rei simpliciter & absolute, quo abscedente perit res, quo permanente permanet: ergo accedens, & qualitas sunt substantia: sed hoc est summum absurdum: ergo etiam est absurda sententia Cerna, & Hurtado.

Quas iterum sic impugno, quia existentia, & individuatio sunt substantiae in Petro, & distinguuntur minimum ratione ab essentia Petri, quia non sunt synonyma, solum enim de essentia Dei est existentia illius ergo perperam asserit Cerna, dicendo substantiam esse synonymum cum essentia, nec ratione distinctam ab illa; item digitus est substantia Petri, & non est de sua essentia: ergo omnino falsa est haec sententia horum Auctorum.

Quarta conclusio: haec potest aliquomodo substantiae descriptio positiva tribui per disunctionem quidem, quia simpliciter non potest sine disunctione definiti substantia vt sic, substantia est quod vel est ens cui debetur suppositalitas, aut est constitutum illius per se in suo esse, quam definitionem apertis verbis tribuit D. Hilarius lib. de synodis, col. 6. Substantia est inquit res quae

R. P. Ideph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

est, vel ex quibus est, & quae in eo quod maneat subsistit, & Athanasius *disp. contra Arium*, substantia inquit est quae subsistit, vel quae constituit id quod in se subsistit; ratio autem quare non potest definiti substantia, vt sic in tota sua latitudine, quatenus comprehendit modum substantialem, & substantiam realem, tam completam quam incompletam sine disunctione est, primo, quia diffinitur cognosci potest essentia substantiae; secundo, quia cum distent tantum modus, res, completum, & incompletum, non possumus ita perfectae, & complete essentiam illius tam universalissimae convenientiae cognoscere; vt sine disunctione definiamus: unde vt clariori doctrina procedamus, attenda difficultate negotij potius per descriptionem sine illa possumus naturam substantiae vt sic definire, & declarare nisi velis dicere substantiam vt sic primum, & principalis ens in divisione entis vt sic, quae descriptio etiam est, & non definitio, & non tam clara, ac ea quam supra per disunctionem tribuimus, nihilominus utraque explicabitur in illa prima parte definitionis quod est suppositum, cui debetur suppositalitas, vt supra diximus; intelligitur substantia completa, solum enim illi suppositalitas debetur; quia nec accedens, nec substantia incompleta potest esse suppositum; quid autem sit suppositalitas latissime explicatur a me in *metaphysica*, ubi poterit videri, prima parte definitionis, ubi dicitur constitutum per se illius in suo esse explicatur natura substantiae incompletae, sive sit modalis, sive realis; substantia enim quae modalis substantia est, constituit substantiam in suo esse, quod est subsistens, aut suppositum; item creatio sive generatio, quae modi substantiales sunt, constituunt in suo esse, vt postea questione sequenti probabitur; substantiam cum illam producant, eisque in genere causae efficientis suum esse tribuant. Item materia prima, seu forma, & unio constituunt totum compositum in esse essentiali physico per se pars integralis constituit compositum in suo esse.

Ad quod intelligendum adverte dari in substantia completa triplex esse, primum essentialia, & hoc per materiam, & formam, & unionem, productionem, & conservationem solum, & adaequate constituitur.

Secundum esse est suppositale, seu esse ultimum terminatum, & in hoc esse constituitur substantia completa per suppositalitatem. Tertium esse quod repetitur in substantia completa, non tamen in omni, sed solum in substantia completa corporea est esse integrale, v. g. esse quod habet homo a capite, brachijs, ventre, pectore, cruribus, & pedibus, quod omne esse ita proprium substantiae completae est, vt sine aliquo illorum non sit in suo esse perfecte, & complete constituta substantia, v. g. homo sine suppositualitate, licet complete essentialiter esset, quia nihil essentialia deficeret, nihilominus non absolute complete esset in proprio esse substantiae; cum deficeret ultimus terminus substantialis a quo constituitur in esse suppositi. Item si deficeret brachium aut pes non complete, & perfecte simpliciter in esse substantiae, esset homo cum deficiat ab illo aliquod integre, & perfecte constitutens illum.

Secunda definitio sic explicatur, ponitur enim illa particula, primum ens, in prima divisione entis vt sic, quia substantia quatenus comparatur cum accidentibus, quod est alterum membrum

divisionis illius universalissima, ac primæ in qua ens dividitur in substantiam, & accidens, substantia est perfectione, & excellentia primum, quia maxime in illa excedit accidens; unde sicut Deus comparatur cum ente creato, quia illud excedit in perfectione, dum dividitur substantia in increatam, & creatam, & quia creatam dependet à Deo, Deus in sua definitione dicitur, est ens per se primum, sic substantia quæ in divisione entis excedit in perfectione accidens, & ab eo accidens dependet, dicitur optime est primum ens in divisione entis; secundum enim ens est accidens in illa divisione, qua appellatione optime indicatur perfectio substantiæ, & excessus illius respectu accidentis.

Tertio potest definiti negatione substantia ut sic, hoc modo: substantia est ens non existens, in alio tanquam in subiecto per inhaerentiam; non enim satis est ad rationem substantiæ, non esse in aliquo quomodocunque, sed requiritur non esse in alio tanquam in subiecto, &c. Hæc negatio sequitur ad positivum, quo constituitur substantia in suo esse, & per eam explicat Aristoteles descriptivè saltem rationem substantiæ dicens, commune esse omni substantiæ, non esse in subiecto, quod etiam frequens est ut res additæ, & occultæ per negationem saltem soleant manifestari: cum ergo ex Aristotele 4. *Physicorum*, cap. 3. esse in alio multipliciter contingat; primo ut est pars in toto suo essentiali, seu integrali, ut manus in corpore, seu physice ut materia in ente naturali, seu metaphysice ut genus, & differentia in specie, 2. ut totum in suis partibus, 3. ut species in genere, 4. ut genus in specie, 5. ut forma in materia, 6. ut effectus in causa, 7. ut res in fine, ut avarus est in divitijs, 8. in loco aut vase, 9. quo res est in tempore, qui modi omnes his versibus includuntur.

Insunt pars, totum, species, genus, utraque forma, Et quæ producens metæ locus quæ tenent.

Tandem dicimus dari alium modum, v. g. ut accidens est in subiecto, non constituendo per se cum subiecto aliquid ens, cui debetur suppositivitas, sed absolute essendo extra essentiam subiecti; negationem vero istius modi, scilicet essendi in alio ut accidens importat substantiam in tota sua latitudine: sed ut clariori modo hoc explicemus, adverte quod tria requiruntur ad hoc ut aliquid dicatur esse in subiecto prout ut sit in alio, secundo ut non sit pars, aut compars per se illius; id enim quod est in subiecto est extra substantiam illius, pars autem non est extra substantiam illius in quo est ut constituat illud in suo esse substantiali, vel absolute, vel quoad esse completum, quo patet formam substantialem, partes integrantes, & modos substantiales ut substantiam non esse in subiecto, quia constituunt substantiam in esse completo, & sunt partes substantiæ, de ratione autem eius quod est in subiecto, est ut non constituat subiectum nec in esse completo, nec incompleto, sed penitus sit extra substantiam subiecti, & ideo forma substantialis materialis, licet sit in materia non proprie est in illa ut in subiecto, quia licet non constituat materiam in esse materiæ incompleto, constituit tamen materiam in esse completo perficiendo essentiam materiæ, & perducendo eam ad suum esse substantiale perfectum, constituendo illam in specie completa rei simpliciter. Item humanitas Christi licet sit in alio, id est in supposito Verbi,

quia ab illo sustentatur, cum tamen constituat illam in esse supposito, quod est esse substantiale ultimo terminatum, ideo non dicitur esse in supposito tanquam in subiecto. Item suppositivitas creata Petri, licet sit in humanitate, seu ad hæreat illi, cum tamen constituat illam in esse substantiali, non est in illa tanquam in subiecto.

Tertio simul requiritur ut aliquid sit in subiecto, ut impossibile sit esse sine eo, in quo est tanquam in subiecto, nam aliquid potest esse in alio, & non ut pars illius, quia tamen potest esse sine illo in quo est, non erit in illo ut in subiecto, ut corpus est in loco non ut pars, & quia potest esse sine illo loco, non est in illo ut in subiecto, & idem est de aqua in vase; unde sola accidentia & idem est de substantia tanquam in subiecto, proprie sunt in substantia tanquam extra esse, & essentiam substantiæ, quia non sunt per modum partis, & ex alio capite non possunt esse sine substantia in qua sunt.

Hæc definitio omni substantiæ, ut dictum est, accommodatur; nam si substantia completa est, ultimoque terminata, ita non est in alio tanquam in subiecto, ut existat per se, & in se, propriæque perfectione innitatur, propriæque modo sustentetur (sicut homo suis pedibus nititur) ratio est, cuius perfectionis substantia accidentia; unde est primum subiectum, fundamentum, & basis in qua accidentia sustentantur; unde ipsa substantia independentem ab omni subiecto, & substantiaculo existit, dependeret ab alio, est per aliud non per se existere, quæ dependentia potest dupliciter considerari, ut sit solum à subiecto inhaerentis, vel adhaerentis, & ita omni tam creatæ quam increatæ substantiæ completa, & ultimo terminata convenit; Petrus enim nulli adhaeret, in nulloque subiecto ita inhaeret, nec inhaerere potest; vel potest sumi illa dependentia absolute, & simpliciter ab omni principio quomodocunque illud sit, & hoc modo sumpta independentia soli substantiæ divinæ convenit, ratione cuius omni modo independentem in se, & per se existit, quia non solum non dependet ab aliquo subiecto, sed etiam ab omni alio principio tam activo, quam passivo, tam terminativo, quam receptivo, & productivo, qui modus per se existendi est omnium perfectissimus, à quo omnes res creatæ deficient propter nativam, & ingentam ipsi imperfectiorem; nam licet ut diximus, non dependeat ab aliquo subiecto, ut ab accidentibus dicantur distinguere, dependent tamen à Deo in existendo tanquam à prima causa efficiente, dependent etiam in complemento substantiali à partibus complementibus illam, ut forma à materia; & è contra totum ab illis, & ab unione, natura à suppositivitate, suppositivitas à natura ut existat; cæterum ad rationem substantiæ ut sic, quatenus abstrahit à creatæ, & increatæ, non requiritur omnimoda independentia, & uterque modus existendi per se, substantiæ creatæ sunt essentialiter substantiæ propter independentiam à subiecto, hic enim modus sicut distinguit substantiam sufficienter ab accidentibus, ita sufficienter illas constituit in esse substantiæ.

Dices hanc definitionem non esse rectam, quia convenit alijs à definito, scilicet indivisibili terminativo lineæ, quod non est ut in subiecto in linea, cum sit terminus illius constituatque ultimo terminativam lineam, & ex alio capite esse sine tali linea.

Quaest. III. Quid sit substantia, &c. 555

Sed contra, quia licet indivisibile respectu alius non sit in subiecto, nihilominus respectu indivisibilis substantiae in subiecto est cum illi inhaereat, ab ipsoque dependeat, minimeque illud in suo esse constituat, definitio enim ita debet convenire ut illius definitum respectu nullius sit in subiecto.

Sed vigebis quia creatio non est substantialis actio, & nihilominus in nullo subiecto est.

Sed contra, quia si loquamur de creatione alius termini substantialis, ut est creatio Angeli, vel animae rationalis, actio substantialis est, & quaestione sequenti latissime probabitur, quare non est mirum quod non sit in subiecto; si autem loquamur de creatione maxime miraculosa, v. g. quia creatur accidens separatim à substantia, vel si loquamur de actione, qua in Sacramento conservatur accidentia per modum substantiae, in illo enim casu dicimus illam actionem esse aequivalentem substantialem, cum illa aequivaleat creationi substantialis, nam sicut ex vi creationis substantialis producit terminus independentis ab alio, ita ex vi huius miraculose actionis, producit, vel conservatur accidens independentem ab omni subiecto, & sic haec actio facit quod illa facit, in qua illi aequivaleat, & quia talis aequivalentia superat vires naturae, & supra principia intrinseca accidentis, cui convenit, ideo absolute supernaturalis est, ratione cuius supernaturalitatis excedit creationem Angeli, & animae rationalis, & aliquo modo possumus dicere eminenter esse substantialem, & sic non mirum si habeat id quod à posteriori colligimus convenire substantiae; relinquo aliquorum iudicium, qui dicunt actionem illam esse substantialem, quia terminatur adtribuendum accidenti modum subsistendi substantialem; unde non mirum quod ipsa substantialis essentia non sit in subiecto, in quo probabiliter loquitur, qui hoc dixerit, asserendo eam Hottado substantiam non esse modum sed substantiam, ipsumque ex vi potentiae obediuntialis uniri accidenti creato; aut miraculose conservato, ut ipsum ad modum substantiae subsistat, ad quod necessaria erit actio substantialis, cum terminus formalis illius sit substantia, licet immaterialis sit entitas accidentis à quo non specificatur talis actio.

Instituendo tamen priori solutioni respondeo per illam negativam descriptionem non solum substantiam formaliter, sed etiam aequivalenter talem definiti, unde licet conveniat creationi accidentis, non convenit alijs à definito, cum talis creatio, seu actio sacramentalis sit substantialis aequivalenter ratione supernaturalitatis.

Dices talē creationem non posse esse eminentem seu aequivalentem substantialem, quia cum ex sua natura ordinetur ad accidens, videtur esse accidentalem formaliter, accidentale autem formale imperfectius est substantiali formaliter: atqui quod est aequivalenter seu eminentem alterum debet esse perfectius, illa autem creatio seu actio sacramentalis, conservativa accidentium sine subiecto est imperfectior creatione substantiae: ergo non potest esse eminentem seu aequivalentem altera.

Contra, quia licet in eo quod creatio animae rationalis sit formaliter substantialis, excedat perfectiorque sit creatione accidentis quae formaliter accidentalis est, nihilominus quia ut supra diximus, est supernaturalis intrinsece talis actio, licet secundum quid, id est secundum gradum substantialem excedatur à creatione Angeli, ta-

R. P. N. de Peñafiel. Theol. Schol. Tom. I.

men simpliciter haec excedit illam, quia excedit secundum supernaturalitatem, qui gradus perfectior est, & sic ex hac parte, & ratione huius excessus in tali perfectione, talis actio potest esse eminentem, & aequivalentem altera.

Exemplis illustratur, nam res perfectior est modo, nihilominus si modo adiungatur supernaturalitas quae caret res, modus simpliciter perfectior erit omni re, quae non supernaturalis est; exemplo sit unio hypostatica, quae licet modus sit, est maxime probabile asserere perfectiorem esse in sua entitate, qualibet alia substantia completa pure creata, licet in natura humana solum sit modus quidam substantialis, quia tamen maiorem excellentiam illi affert, quam sit non solum in homine, sed etiam in Angelo, non tantum ratione ipsiusmet suppositi Verbi divini, quod humanitati coniungit, sed etiam ex parte illius modi creati, & supernaturalis, quem ponit in ipsa humanitate, qui tamen modus non est substantia completa, sed medium aut vinculum quo consurgit substantia quaedam completa, quae est Christus Deus homo; unde licet ille modus in ratione modi videatur excedi à substantia reali, nihilominus ratione supernaturalitatis absolute excedit quaecumque aliam substantiam realem; imo etiam de gratia, licet accidens sit, si conferatur cum anima rationali, vel cum Angelo ait D. Thomas 1. 2. qu. 100. art. 2. ad 2. gratiam in modo esse minus perfectam, quia est accidens, in quantum vero est expressio, vel participatio divinae bonitatis esse perfectiorem, & 1. 1. 3. a. 1. 9. dicit ex parte operis facti maius opus esse iustificationem impij, quae terminatur ad bonum aeternum supernaturale divinae participationis, quam sit opus creationis caeli, & terrae, quae terminatur ad bonum naturae mutabilis, & in 4. diff. 49. q. 1. art. 2. q. 1. ad 5. dicit gratiam licet in ratione accidentis sit minus perfecta, quatenus ordinatur ad aliquid extrinsecum est ad perfectius unio animae cum Deo esse perfectiorem, & hoc modo inquit D. Thom. Beatitude creata, & gratia, & huiusmodi sunt aliquid nobilior natura animae cui inhaerent, in quibus verbis non solum de gratia sanctificante, sed etiam de alijs virtutibus, & donis infusis sentit esse perfectiora, quam animam, quod etiam de charitate expresse dixit 2. 2. q. 23. art. 1. quod ibi generaliter ita declarat, quia licet accidens secundum suum esse, id est secundum communem modum essendi accidentis sit inferior substantia, nihilominus secundum specificam rationem potest esse perfectius suo subiecto, & hoc modo inquit charitas est perfectior quam anima & 1. 2. qu. 113. art. 9. ad 2. dicit bonum gratiae unius maius esse quam bonum naturae totius universi, sub bono autem naturae etiam substantia animae comprehenditur; ergo ex sententia Divi Thomae, maius id est melius, & excellentius est gratia quam ipsa anima, & August. serm. 5. de verbis Apostoli, c. 5. melius, inquit, est esse iustum quam esse hominem; si hominem fecit Deus, & iustum te facis, aliquid melius facis, quam fecit Deus; unde secundum August. gratia quae dat esse iustum, perfectior est quam anima quae dat esse hominem.

Hoc lucidissimum agmen claudit Christianus Achilles sapientissimus inquam, iuxtaque sanctissimus Nazianzenus in orat. 46. de sancto Baptismo, dicens sicut Deus nos primum creavit, ita creatos restauravit, & rexit, & quidem figmen-

to, id est forma diviniore, & primum signum, id est animam multis partibus superante, & ideo ibi vocat baptismum Dei beneficiorum præstantissimum, quia nos filios Dei regenerat; unde sumitur optima confirmatio, nam perfectus est esse Deum per participationem quam esse hominem per essentiam seu naturam, & hac ratione perfectior censetur communicatio Dei secundum ordinem gratiæ, quam secundum ordinem nature, & ratio est, quia non repugnat speciem constitutam sub genere minus perfecto ratione differentie perfectione superare speciem sub genere nobiliori existentem, quia potentia imperfecta potest interdum contingi cum nobilissimo actu; ita ergo species alicuius accidentis videtur posse esse perfectior quam alia substantia, quod si hoc possibile est, profecto est valde credibile gratiam esse simpliciter meliorem formam quam sit ipsa anima; non enim sine magna causa dixit Petrus, magna, & pretiosa nobis promissa donavit, ut divinæ efficiamur consortes nature, & hoc quidem fundatur in excessu differentie supernaturalis; ut videre est etiam in visione beatifica, quæ perfectior est actione productiva aquæ, &c. ergo similiter licet actio illa, quatenus terminatur ad accidens, videtur imperfectior creatione Angeli, nihilominus quatenus supernaturalis est perfectior illa, ratione cuius perfectionis potest æquivalere illi, esseque eminenter, & æquivalenter substantiam.

QVÆSTIO IV.

De divisione Substantiæ.

PRIMA conclusio: dividitur substantia ut sic in substantiam realem, & modalem; substantia realis est illa, quæ habet entitatem simpliciter talem ita ratam, & firmam, ut per potentiam Dei absolutam possit esse separata à quacunque à se absolute distincta, ut materia sine forma, forma sine materia, totum sine accidentibus, & licet totum non possit esse sine partibus, est quia absolute non distinguitur ab illis absolute distinctione excludentis ab exclusio; distinguitur enim sola distinctione includentis ab incusso à suis partibus divisum; simul autem minime realiter distinguitur ab illis.

Substantia modalis est entitas ordinata ad constitutionem, seu complementum substantiæ inseparabilis quidem à rebus, in quibus est adhuc per potentiam Dei absolutam, per primam particulam distinguitur modus substantialis à modo accidentali, quia modus accidentalis supponit substantiam complete constitutam, & illam afficit sub aliqua alia ratione; exemplo sint unio inter materiam, & formam, quæ modus substantialis est cum ordinatur ad constitutionem hominis, qui completa, & realis substantia est, ubi autem est modus accidentalis, quia supponit iam hominem v.g. adæquate, & totaliter in suo esse constitutum; rationem autem huius optime, ut solet, sic reddit P. Suar. quia substantia completa cum sit ens per se unum, & in suo genere absolute non nisi ex substantia vel substantijs con-

stet; quidquid ergo intrinsece concurret ad constitutionem substantiæ, substantiam saltem incompletam esse necesse est.

Item substantia incompleta nihil aliud est nisi vel substantia ista in aliquo esse imperfecto, vel id quod est pars, seu complementum substantiæ; ergo omnis modus, qui ita concurret ad constitutionem substantiæ, est substantia incompleta, seu modus substantialis, & non est accidens; denique de ratione accidentis est ut supponat subiectum suum: ergo modus qui non supponit, sed complet substantiam non est accidens, addit Suarez, atque hinc patet ratio alterius partis, nam postquam substantia iam est plene in suo genere constituta; quidquid ei additur sive sit res sive modus est accidens eius: sed modus qui nullo modo spectat ad complementum substantiæ, ex se supponit illam plene constitutam in suo genere: est ergo accidens eius. Maior constat tum ex communi ratione accidentis, tum etiam, quia si modus adveniens substantiæ non est accidens, sed aliquid substantiale: ergo complet amplius, & quasi magis integrat ipsam substantiam, cuius est modus: ergo talis modus, non supponit substantiam completam, & plene constitutam; ergo si eam sic constitutam supponit, talis modus non erit substantialis, sed accidentalis: concludit tandem, quia nulla alia ratio reddi potest, cur aliqui modi advenientes substantiæ, sint accidentales, nisi quia non pertinent ut modi ad constitutionem, vel complementum eius per secundam particulam seu descriptionis partem distinguitur à substantia reali, quia modus ita affixus est rei, cuius est modus, ut nec per potentiam Dei absolute possit esse sine re, quia ita diminuta, & imperfecta entitas est, ut sine tali substantiatulo non possit adhuc divinitus conservari, quod non reperitur in substantia reali, quæ quia constans, & peritur in substantia reali, quæ quia constans, & firma seu rata entitas est, potest sine dependentia ab alia entitate à se absolute distincta, solo concursu divino ita illam independentem conservante conservari.

Secunda conclusio: tam substantia realis quam modalis iterum dividuntur in completam, & incompletam; substantia modalis completa est illa, quæ non constituit in genere causæ intinsece substantiam; unde nec ut pars illius: sed in genere causæ efficientis producendo illam ut est actio substantialis, v.g. creatio, generatio, & nutritio, quæ quia completi modi sunt in prædicamento directe collocantur; quod autem sint modi completi sic probatur.

Nam sicut se habet actio accidentalis productiva accidentis respectu termini producti accidentalis, & agentis productivi; ita se habet actio substantialis respectu substantiæ producendæ, & agentis producentis illam: sed actio accidentalis est modus completus: ergo similiter actio substantialis.

Confirmatur, quia actio accidentalis non ideo completa est, quia est accidentalis, alias in-herentia quæ accidentalis, & ipsa actio considerata ut motus, essent completi modi: sed non sunt completi modi: ergo actio accidentalis non est completa, quia accidentalis: ergo propter aliam rationem: sed non est alia ratio in actione accidentali per quam distinguitur ab inherentiis, & motu per quam sit modus completus nisi ratio actionis: ergo ex eo quod actio est, est completus modus; sed actio substantialis absolute ut

Quæst. IV. De divisione substantiæ, &c. 557

talís, est perfectior actio, ut de se patet ratione differentie, et si concipiatur in ratione communi, aut est analogatum principale, quia substantia, & convenit univocè in ratione actionis ut sic cum actione accidentali: ergo à fortiori actio substantialis continet propter suam perfectionem intra rationem actionis, quam aut non attingit actio accidentalis, si analogata sunt, vel univocata propter eandem rationem perfectionis completæ entitatis.

2. Secundo, quia quidquid directe ponitur in prædicamento, est completa entitas in illo genere: sed tam actio substantialis, v. g. creatio, generatio, & nutritio quam actio accidentalis, ponuntur directe in prædicamento, quia non est maior ratio unius quam alterius; imo perfectior species actionis est actio substantialis, quam accidentalis, ut suo loco videbitur: ergo ratio substantialis est modus completus.

Tertio, quia illud quod non est pars alterius, non est incompleta entitas: sed actio substantialis non est pars substantiæ completæ in quantum talis est: ergo non est incompleta entitas modalis: maior est evidens, minor sic probatur, quia substantia composita solum habet triplex hoc esse aut essentialis, & in esse solum ab unione, materia, & forma, ut partibus constituitur, materia enim, forma, & unio solum sunt partes essentielles substantiæ, aut datur esse suppositale, & partes huius esse solum sunt materia, forma, unio, & suppositalitas, & ut brevius loquar natura, & ultimus terminus qui, dicta suppositalitas est. Tandem datur esse integrale, ubi solum sunt partes integrantes: sed actio neque est unio, materia, forma, suppositalitas, & pars integralis, ut de se patet: ergo minime est pars.

Confirmatur, quia pars semper respicit totum cuius pars est: sed actio nullum totum cuius sit pars, respicit: ergo omnino est pars. Maior est evidens, minor sic probatur, nec actio solum respicit aut agens aut terminum, ponamus exemplum in creatione; sed respectu agentis non est pars, quia Deus non habet partes, qui est causa, nec proprie potest habere quid creatum, ut est creatio, quia quidquid in Deo est, Deus est. Præterea, quia actio est denominatio extrinseca respectu agentis: ergo non est pars agentis, quia pars ut pars est intrinseca toti: sed nec respicit terminum ut totum cuius sit pars: ergo, hæc minor sic probatur, nam actio non constituit terminum productum per se, v. g. Angelum creatio nisi in genere causæ efficientis, producendo, & agendo efficienter illum: sed hic modus constituendi non sufficit ad incomplementum constituentis, alias causæ efficiens esset pars effectus. Deinde etiam actiones accidentales constituunt terminos producendo illos in genere causæ efficientis, imo respectu termini sicut se habet actio accidentalis, ut supra diximus, se habet substantialis; sed actio accidentalis ideo non dicitur pars sui termini, nec incompleta entitas, seu modus: ergo propter eandem rationem non potest dici actio substantialis modus incompletus, nec pars illius.

3. Dicitur actionem substantialem adhærere intrinsece termino, & ex tali adhæensione resultat totum hoc concretum productum, cuius partes sunt terminus, & actio.

Contra primo, quia idem reperitur in actione

accidentali, nam adhæret termino, & resultat concretum productum ex tali actione, & ex entitate termini, & nihilominus actio accidentalis ideo non dicitur modus incompletus: ergo similiter, & propter eandem rationem actio substantialis non dicitur modus incompletus.

Secundo, quia actio secunda spectari potest primo ut est via ad terminum cui dat esse, & sub hac ratione concipitur ut adhærens intrinsece motus, ac per consequens quid incompletum, & minime directe collocatum in prædicamento, quia motus ut motus à directa collocatione in prædicamento excluditur secundum regulas Aristotelis, & communem sensum Doctorum, & sub ea consideratione componit cum entitate termini hoc concretum productum. Secundo præcise, ut est actus agentis suo modo produciens effectum, & extrahens illud de potentia ad actum, & sub hac ratione concipitur ut quid completum, & sub ea ratione, seu in hac consideratione nihil adhærentiæ, fluxus, viæ, motus, & compositionis actio habet: sed solum quod est veluti forma agentis illud sic denominans, & ut sic collocatur in prædicamento, habetque suam rationem completam logicam, aut metaphysicam, licet secundum adæquatam rationem realem suam habeat incomplementum, & ut sic non collocetur in prædicamento.

Ultimo probatur, nam gradus substantiæ est secundum se perfectior, quam gradus accidentis: sed gradus substantiæ propter illam perfectionem, est capax substantiæ realis completæ: ergo, & modi completi est capax, nam si gradus imperfectior, scilicet accidentis, est capax huius perfectionis: ergo gradus substantiæ propter maiorem suam perfectionem, erit capax illius, præcipue quia modus substantiæ ut sic, est perfectior quam modus accidentalis ut sic, est perfectior maior ratio datur in modo substantiali, scilicet sua maior perfectio ut habeat hanc perfectionem completam, quam modus accidentalis qui perfectior est.

Modus substantiæ incompletus est qui constituit intrinsece per modum partis substantiam completam, v. g. unio materiæ, & formæ; substantia realis incompleta est illa, quæ pars est substantiæ, ordinaturque ex sua natura ad complementum illam, & componendam; ut materia, & forma sunt incompletæ ex Aristotele 8. *met. c. 2. & 2. de anima, cap. 1.* item differentie sunt substantiæ incompletæ, ut docet Aristoteles 1. *lib. Physicorum, cap. 6.*

Substantia completa iam *sup. q. præcedenti* explicata, est quæ hoc modo nunc declaratur: est substantia quæ non ordinatur ad complementum seu compositionem alterius, ut Homo, Petrus, Leo; positive autem sic declaratur, est illud ens quod est per modum totius cuiusdam integre, & per se existit.

Iterum dividitur substantia in completam, & in incompletam physice aut metaphysice.

Substantia completa physice est, quæ per se ad alterius substantiæ realem compositionem non ordinatur, nam hoc ipso necesse est ut substantia completa in se habeat quidquid ad suum complementum necessarium est; substantia incompleta physice sic explicatur, quæ in ordine ad alicuius realem compositionem ordinatur, v. g. quæcunque pars physica ut materia, & forma, vel substantialis modus concurrens aliquo modo ad complementum, & constitutionem illius, ut est

Aaaa 3 unio

558 Disp. IX. De prædicamento substantiæ,

vnio materiæ cum forma, quia constituit hominem.

Rogas an sit substantia completa physice, omnis illa, quæ licet habeat complementum in esse essentiali, & in esse suppositali, tamen illi aliquid deficit perfectionis integralis, v. g. Petrus à quo brachium vel pes abscissus est.

Respondéo affirmatue simpliciter, quia aliud est substantiam esse perfectam, aliud completam, primum requirit non solum integritatem quantum ad essentialia, & terminum complementum subsistendi totaliter: sed etiam quantum ad omnia, quæ ad perfectionem, seu substantialem integritatem rei pertinent, secundum vero solum exposulat complementum naturæ proveniens ex vnione partium essentialium, & ex terminatione personalitatem, vel supposititalitatem, quare Petrus à quo tale brachium abscissum est, erit substantia completa physice, non tamen perfecta.

Substantia metaphysice completa sunt individuum, species tam subalterna, quam infima, & genus, quia secundum se, & quatenus secundum sua prædicata essentialia concipiuntur, possunt concipi, vt adæquatum principium operationis sine indigentia alterius, & vt sic possunt concipi sine ordine ad compositionem, de quo supra late.

Substantia incompleta metaphysice est quæcunque differentia, nam semper concipitur vt constitutivum, & distinctivum speciei, vt rationale in quocunque conceptu concipitur vt constitutivum, & distinctivum hominis.

QVÆSTIO V.

Vtrum detur actio substantialis.

SECTIO I.

Sententia adversaria probatur.

PRIMA sententia asserit nullam actionem substantialem, sed omnem necessario esse accidentalem; sic P. Hurtado in *met. disp. 10. de substantia, sect. 11.* & probatur, quem sequitur Arriaga in *metaph. in prædicam. Substantia.*

Primo ex frequentissima Aristotelis divisione substantiæ in materiam, & formam, & quæ ex ijs est, id est compositum, in qua tertia parte dividente comprehenditur vnio, & suppositum: at in ea divisione non est comprehensa actio: ergo vel actio non est substantia, vel eam Aristoteles certe divisit: probo minorem, quia actio non est materia, nec forma, nec compositum, nec intrinsecum illorum complementum.

Secundo probatur, quia actio non constituit per se rem absolute, nec est de intrinseco eius conceptu, nec variatur actione mutata: ergo non habet substantiæ conditiones.

Confirmatur, quando concipimus rem, concipimus primo eius essentiam, & subsistentiam; postea vero concipimus actionem qua producit: ergo actio est conceptus secundus rei: ergo illi accidit.

SECTIO II.

Nostra sententia proponitur.

Conclusio: multæ actiones sunt substantiales, vt sunt nutritio, generatio, creatio: hæc est communis inter Doctores sanaque in Philosophia sententia, eam tenet D. Thom. q. 3. de pot. ar. 3. & probatur primo, quia omne quod constituit substantiam in esse substantiæ est substantiale: sed actio creationis, & generationis constituit substantiam in esse substantiæ: ergo talis actio est substantialis: minor sic probatur, quia constituitur aliquod est tribuere, & dare esse constituto: sed actio producit, dat, & tribuit esse suo termino in genere causæ efficientis, producere enim dare esse est, & sic Deus qui creat Angelum constituit illum; quia illum in genere causæ extrinsecæ efficientis producit ac proinde illi in illo genere dat & tribuit esse: ergo actio, quæ est ratio producendi terminum formalem constituit illum.

Dices constitutionem in genere causæ extrinsecæ non arguere in constituyente esse substantialem, ac proinde actio, quæ solum illo modo constituit non est substantia.

Contra, quia nulla causa efficiens, talique genere causæ contenta, si constituit vt causa principalis substantiam, producendo illam, potest esse accidentaliter, sed necessario debet esse substantialis, vnde calor, licet vt instrumentum causet ignem, non tamen vt causa principalis, quia causa principalis necessario substantia est, & in sententia P. Hurtado, nec vt instrumentum immediate influens, potest producere accidens substantia, solum enim in illius sententia substantia immediate producit substantiam: sed generatio, & creatio, sunt actiones exercitæ, & rationes formales causæ principalis substantiæ, quatenus vt talis substantia producit ergo ipsa actio, licet constituat in genere causæ extrinsecæ, eam sit ratio formalis, & causalitatis principalis substantiæ, in quantum substantiæ producendæ, erit necessario substantialis. Hæc consequentia sic probatur, quia eo modo est actus secundus quo est actus primus talis actus primus, & ideo si actus primus est intellectus, actus secundus, & exercitum illius, in quantum talis, non potest esse volitio, & si actus primus est voluntas, actus secundus non potest esse intellectio; sed creatio Angeli est exercitum, & actus secundus causæ substantialis, in quantum talis est, & in quantum producit formaliter substantiam: ergo necessario est substantialis: illa minor sic probatur, quia creatio est causalitas Dei vt causæ principalis Angeli creati: sed si Deus non esset infinita substantia non posset creare Angelum: ergo creatio est causalitas principalis causæ substantialis, in quantum substantialis, & actus secundus illius vt talis: ergo substantialis est.

Vrgetur, quia non ob aliam rationem causæ principalis substantiæ est substantia, nisi quia producit, & continet substantiam, quia nemo dat quod non habet: sed actio creationis, & generationis producit vt quo principaliter, quia est causalitas principalis, & continet vt quo substantialem terminum: ergo vt quo erit substantia, id est actio substantialis; nam si causa quia causat vt quod substantiam, est vt quod substantia, actio quæ causat vt quo erit substantia vt quo, id est fieri

Quæst. V. Vtrum detur actus substantialis? 559

fieri substantiale, nam sicut Deus non posset producere Angelum per esse accidentale causæ, id est per suum esse, si per impossibile esset accidentale, supponamus Deum esse entitatem accidentalem: sed necessario debet producere illum, & creare per esse proprium substantiale, ita Deus non potest creare per fieri accidentale, nec per causalitatem accidentalem: sed necessario debet creare Angelum per fieri, & causalitatem substantialem, quia non est maior ratio unius quam alterius.

9 Secundo confirmatur, ideo unio materiæ ad formam substantialem est substantialis intrinsece, & essentialiter, quia ordinatur ex natura sua ad constituendum substantiam completam compositam, ita dando, ac tribuendo tali substantiæ esse substantiale compositum, ut sine unione, & compositione nullo modo possit esse substantia completa composita; similiter substantia est intrinsece entitas substantialis, quia constituit substantiam in esse substantiæ ultimo completæ, idemque dicendum est de existentia substantiæ, si talis existentia distinguatur a parte rei ab ipsa substantia, quia constituit illam in esse existentis substantialiter. Ac tandem eodem modo dicunt Theologi unionem humanitatis ad Verbum esse modum substantialem supernaturalem intrinsece, quia ad compositionem Christi, & ad constitutionem illius in esse personæ concurrunt, & licet hæc numero unio non sit necessaria tam ad compositionem essentialem quam ad constitutionem suppositi, nihilominus quia aliqua unio necessario requiritur ad talem constitutionem, & compositionem, coguntur omnes asserere unionem illam esse intrinsece, & essentialiter substantialem.

10 Tunc sic, actio qua generatur homo, & creatio, qua ex nihilo producitur Angelus ordinantur intrinsece, & essentialiter ex vi propriæ essentiae ad constituendum hominem, & Angelum in esse actualis substantialis tribuendo illis esse substantiale ut substantiale: ergo tales actiones sunt intrinsece, & essentialiter substantiales, nam licet talis actio particularis numerica non sit omnino necessaria ad constitutionem Angeli, & hominis, & ad tribuendum illis esse substantiale, quatenus substantiale, nihilominus aliqua actio est ita simpliciter necessaria ad hoc ut Angelus, & homo habeant esse substantiale actuale, ut si ne illa adhuc de potentia Dei absoluta nullo modo possint Angelus, & homo habere esse substantiale, & ratio est, quia tale esse substantiale hominis, & Angeli est esse substantiale creatum, productum, & dependens à Deo: sed implicat adhuc divinities esse creatum, productum, & dependens esse sine creatione, sine productione, & dependentia à Deo, sicut implicat esse durans sine duratione, visum sine visione, subsistens sine subsistentia, dexterum sine dexteritate, &c. ergo nullo modo adhuc per potentiam Dei absolutam potest esse substantiale Angeli, & hominis, quatenus tale, (quia adhuc quatenus substantiale est esse dependens, & creatum à Deo) sine actione constituyente ipsum in esse substantiale.

11 Dices sufficere, quod talis actio sit accidentaliter intrinsece ad constituendum Angelum, quia talis constitutio est extrinseca, quia est in genere causæ efficientis.

12 Sed contra, quia nullum accidens potest esse causa principalis productiva ut quod substantiæ, nec constitutiva in esse causæ efficientis princi-

paliter: ergo similiter nulla entitas accidentaliter intrinsece potest esse causalitas principalis productiva ut quod substantiæ, & constitutiva in genere causæ efficientis ipsam: sed necessario debet esse substantialis intrinsece, & essentialiter ut quod, id est modus intrinsece substantialis, per quam constituitur ut quod in genere causæ efficientis in esse substantiali Angelus, vel homo; consequentia illa prima sic probatur, quia ideo accidens non potest esse causa principalis substantiæ ut quod, adhuc in genere causæ extrinsece efficientis, quia adhuc in genere causæ extrinsece efficientis causa vere, & proprie dat esse, & constituit effectum substantialem vere, & proprie in esse substantialis, & res inferioris ordinis ut est accidens tanquam causa principalis non potest dare esse superioris ordinis ut quod, quia secundum illud evidentissimum principium, nemo dat quod non habet; atqui si accidens adhuc in genere causæ efficientis extrinsece principalis produceret esse substantiale Angeli ut quod, res inferioris ordinis vere, & proprie extrinsece daret ut quod tanquam principalis causa esse superioris ordinis, quod in se non habet effectum: ergo entitas intrinsece accidentalis non potest adhuc in genere causæ extrinsece efficientis principalis dare esse substantiale effectum: sed necesse est ut eo modo quo dat in genere causæ principalis etiam extrinsece, habeat esse substantiale intrinsecum, & essentialiter, quia autem causa producit ut quod in illo genere, & constituit ut quod substantiam in esse substantiæ, etiam si extrinsece constituat, est necesse ut sit essentialiter, & intrinsece substantia ut quod, & non solum extrinsece, & terminative.

Imo, quia terminative ut causa principalis est substantia, id est, quia ut causa principalis producit terminum substantialem, qui in se essentialiter, & intrinsece est talis, à posteriori colligimus evidenter talem causam principalem debere esse intrinsece, & essentialiter substantiam ut quod.

14 Tunc sic, creatio Angeli, & generatio hominis in genere causæ principalis efficientis extrinsece constituunt ut quod, & producant principaliter Angelum, & hominem in esse substantiarum tribuendo, & dando ipsis ut quod principaliter esse substantiale essentialiter, & intrinsecum, quatenus tale; ergo creatio Angeli, & generatio hominis essentialiter, & intrinsece sunt substantiales ut quod, hoc est, modi substantiales intrinsece, & essentialiter, & non solum extrinsece, & terminative, ut adversarij male asserunt.

15 Imo, quia in genere causæ principalis licet efficientis extrinsece sunt substantiales terminative, id est producant ut quod principaliter terminum, qui in se sit essentialiter, & intrinsece substantia, colligimus evidentissime, ac manifestissime creationem Angeli, & generationem hominis esse entitates intrinsece, & essentialiter substantialem ut quod, id est modum essentialiter, & intrinsece substantialem, & minime accidentalem intrinsece; nam sicut se habet in genere causæ principalis causa ut quod ad producendum ut quod, substantiam, ita se habet in eodem genere causæ principalis causa ut quod, seu causalitas ad producendum ut quod in illo genere substantiam; sed in illo genere, quia est genus causæ principalis non potest accidens ut quod producere substantiam, sed necesse est ut tale producat ut quod,

quod, sit substantia intrinsece, essentialiter, & formaliter ut quod; ergo in eodem genere, quia est genus causæ principalis non potest entitas intrinsece accidentalis ut quod, id est, modus accidentalis intrinsece, & formaliter producere ut quod; substantiam; sed necesse est ut in illo genere causæ principalis id quod producit ut quod sit substantia ut quod formaliter, essentialiter, & intrinsece à paritate rationis.

16 Antecedens illud est manifestum, quia causalitas causæ principalis, & medium formale per quod causa principalis producit ut quod substantiam, & constituitur in esse causæ principaliter producentis ut quod substantiam, constituit ut quod, & producit ut quod principaliter dando esse substantiale effectui ut quod: sed creatio Angelis, & generatio hominis sunt causalitas principalis, & medium formale principale per quod causa principalis creat ut quod, & generat ut quod, & à quo constituitur in esse producentis principaliter ut quod substantiam Angelis, & hominis, quatenus substantia sunt; ergo creatio Angelis, & generatio hominis in genere causæ principalis efficientis extrinsece constituant ut quod, & producant principaliter Angelum, & hominem in esse substantiarum,tribuendo, & dando ipsis ut quod principaliter esse substantiale essentiale intrinsecum quatenus tale.

17 Et ratio est manifesta, quia genus causæ principalis efficientis constituitur adæquate, & totaliter in esse talis per entitatem causæ producentis, & per influxum, actionem, productionem, & causalitatem efficientem principalem; ita ut in illo genere ad talem constitutionem nihil aliud intercedat: sed entitas causæ non est quæ producit ut quod principaliter substantiam Angelis: sed potius ut quod: ergo nihil aliud restat ut producat principaliter ut quod substantiam Angelis nisi creatio, actio, seu productio illius: ergo.

18 Totum hoc ex principiis ipsius P. Hurtado evidenter convincitur, quia in principiis huius auctoris, principium illud, nemo dat quod non habet, proportionali modo, & secundum distributionem accommodatam verificatur de omnibus, ita ut nemo det ut quod, nisi quod continet ut quod in genere causæ principalis, & nemo det ut quod, nisi quod continet ut quod: sed creatio Angelis, & generatio hominis in genere causæ principalis tribuunt ut quod Angelis, & homini esse substantiale intrinsecum essentiale, & formale: ergo creatio Angelis, & generatio hominis continent in se esse substantiale, intrinsecum, essentiale, & formale ut quod.

19 Maior quoad primam partem adeo est certa in principiis huius auctoris, ut solum propter illam asseruerit in *Physica*, disp. 9. sect. 5. subsect. 1. per totam accedens non attingere immediate, neque ut causam principalem, neque ut causam instrumentalem productionem substantiæ in genere causæ efficientis extrinsecæ; unde adæquate, & totaliter solum docet substantiam ut quod dare esse substantiale effectui; ergo causa quæ ut quod principaliter producit substantiam debet esse substantia ut quod.

20 Secunda pars eiusdem maioris patet ex argumento quodam, quo utitur ipse P. Hur. in eadem *Physica*, disp. 12. de creatione, sect. 4. §. 85. ubi probat creationem esse independentem ut quod,

quia producit in genere causæ efficientis ut quod, seu reddit suum terminum independentem ut quod; argumentum sic se habet tertio probatur, creatio reddit suum terminum independentem ut quod ab omni subiecto: ergo illa est independentem ut quod à subiecto omni; probatur consequentiam, quia effectus formalis formæ continetur ut quod in forma ipsa, nisi enim sua essentia sit ut quod talis, quale denominat subiectum implicat illud denominare, nisi enim cognitio sit quod cognoscitur obiectum, non potest obiectum esse cognitum ut quod, nec potentia cognoscens ut quod; quibus suppositis sic argumentor, premendo eadem vestigia adversariorum. Creatio Angelis, & generatio hominis reddunt suum terminum, & producant illum substantialem ut quod, & constitunt illum efficienter in esse substantialis ut quod: ergo illa est substantialis ut quod; probatur consequentiam, quia effectus debet contineri in causa à qua constituitur, nisi enim causa ut quod sit ut quod talis, qualis est effectus, implicat illum constituere in tali esse sive intrinsece sive extrinsece, ut iam probatum manet. Tunc sic, creatio est entitas substantialis ut quod: ergo non potest esse accidentalis ut quod, sicut, quia creatio est independentem ut quod à subiecto per te non potest esse dependens ab illo ut quod.

Dices creationem non solum efficienter, sed etiam quasi formaliter constituere terminum in esse independentem ut quod à subiecto, & ideo ipsam debere esse independentem ut quod.

Sed contra manifeste, quia tota constitutio creationis est producendo terminum, & efficiendo ipsum intrinsece quatenus ille est independentem à subiecto: sed generatio hominis producit terminum substantialem, & afficit illum, quatenus talis terminus intrinsece, & essentialiter est substantialis; ergo sicut se habet creatio respectu termini independentis, se habet generatio respectu termini substantialis, quatenus substantialis est, quia si illa producit terminum qui non dependet, hæc producit terminum qui est substantialis; si illa afficit intrinsece terminum ratione cuius exercet quasi genus causæ formalis intrinsece, ratione cuius componit cum termino concretum intrinsecum independentem, ita etiam generatio hominis, & productio substantiæ, quatenus substantia est afficit intrinsece terminum productum, & constituit cum illa concretum intrinsecum, & formale, substantia nimirum generata; ergo sicut creatio est intrinsece, & essentialiter independentem ut quod, etiam similiter productio substantiæ erit intrinsece, & formaliter substantia ut quod, quia ubi est eadem ratio formalis est idem effectus, vel quasi effectus formalis.

SVBSECTIO I.

Secundum principale argumentum ponitur.

Omnia participatio, per quam aliquis effectus participat suum esse à causa efficiente extrinseca, non solum terminative, & extrinsece: sed etiam intrinsece, essentialiter, & formaliter est in gradu in quo est effectus, qui participat suum esse à sua causa principali efficiente, id est talis est illa participatio intrinsece,

Quæst. V. Vtrum detur actio substantialis? 561

& essentialiter in esse participationis, & modi participandi, quale est esse participatum per illam in esse effectus participati.

24 Sed actio per quam producit substantia quatenus substantia, v.g. homo, & Angelus est participatio per quam substantia participat esse à sua causa efficiente, & producit quatenus est substantia, ac proinde intrinsece, & formaliter. & non extrinsece est in gradu substantiæ; ergo ipsa actio per quam producit substantia non solum extrinsece, & terminative, sed etiam intrinsece essentialiter, & formaliter est substantialis, & in gradu substantiali necessario.

25 Minor luce meridiana est clarior, quia nihil aliud est participatio in genere causæ efficientis nisi dependentia effectus à causa, & productio limitata effectus in suo esse, ratione cuius aut extensivæ, aut intensivæ non accipit effectus totum esse quod continetur in causa productivæ, sed solum aliquid, seu partem illius adæquati quod continetur in causa, ac proinde dicitur talis effectus non totum, quod continetur in causa virtualiter, sed partem solum capere, aut accipere efficienter ab illa, à parte enim capiendi, seu accipiendo dicitur effectum participare esse à causa, & productio, seu causalitas per quam effectus producit à causa, dicitur effectus participatio à causa; ergo actio per quam creatur Angelus in quantum substantia, & generatur homo in quantum talis sunt participationes intrinsece essentialiter, & formaliter per quas participatur substantia in esse substantiæ formaliter, & intrinsece.

26 Consequentia prima est evidens in Darij, evidenter enim colligitur ex maiori, & minori.

27 Maior in qua est tota difficultas sic demonstratur quia participatio per quam producit à Deo in genere causæ efficientis principalis unio hypostatica humanitatis Christi ad Verbum divinum, non solum est supernaturalis extrinsece, & terminative, sed etiam quoad substantiam intrinsece, essentialiter, & formaliter supernaturalis, quod fides nostra docet, & omnes Theologi, ac Patres Ecclesiæ sine vlla controversia docent, quam ob rem merito Agapitus Papa scriptum reliquit *Epistola ad Animum*, hoc mysterium solius fidei contemplatione cernendum esse ad quæ provehat humilitas carnis, ad quæ etiam inclinatur altitudo Deitatis, quid sit quod caro sine Verbo non agit, & quid, quod Verbum sine carne non efficit, quomodo Christus ita inter Deum, & hominem mediator apparuit, ut solita sublimaret insolitis, & insolita solitis temperaret, sic ille. Dionysius Areopagita *cap. 2. de divinis nominibus*, intrinsecam supernaturalitatem huius actionis his verbis docuit: Iesu in carne apparitio, & ineffabilis est sermoni omni, & omni ignota intelligentiæ, ipsi quoque antiquissimorum Agelorum primati non satis perspecta: conspirat Damasce-nus *lib. 3. de fide, cap. 1.* ubi novum omnium novorum, & solum sub sole novum per quod Dei apparuit infinita virtus, bonitas, & sapientiâ dicit Beatus etiam Leo Papa cum esset ipse cardo, & vertex totius Ecclesiæ, hoc opus miraculorum quasi omnium supernaturalium cardinem, & verticem celebravit, ratione cuius Cyrillus Alexandrinus ad Reginas ait, hoc esse quasi ænigma sacratissimum, quod summa potius veneratione suscipiendum est, quam humani iudicis trutinæ

R. P. Ideph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

subijciendum; eamque ob rem inquit P. Suarez omnia quæ in hoc divino mysterio tractantur supra rationem, supra captum omnem sita sunt utpote divina. Itaque actio illa, qua humanitas Christi unita est Verbo divino non solum est supernaturalis extrinsece, eo modo quo resurrectio mortui, & restitutio oculi, sed potius intrinsece, & essentialiter quoad substantiam.

Item sanctificatio iusti per quam infunditur gratia sanctificans in animam iusti est intrinsece quoad substantiam supernaturalis, ut definitur à Clemente V. in Concilio Viennensi, & à Concilio Tridentino, & multis alijs Synodis, & Concilijs, ut erudite tractat P. Franciscus Suarez *tom. 3. de gratia, lib. 6. cap. 3. à nu. 6. usque ad finem*. Item supernaturalem esse actionem quoad substantiam, qua auxilia tribuuntur à Deo ad merendum de condigno gloriam, & etiam qua disponitur peccator immediate, & proxime ad iustificationem (in quo nulla controversia est inter Doctores) docet Tridentinum Concilium *sessione 6. cap. 7.* & idem est de actione qua mediante consecratur hostia, & reproducit corpus Christi, nec vlllo modo potest dubitari, quod actio per quam producit visio beatifica sit intrinsece, formaliter, & essentialiter supernaturalis; unde male audiret, qui diceret actionem incarnationis, infusionem sanctitatis, & virtutum supernaturalium, ac tandem visionem beatificam non esse supernaturales intrinsece essentialiter, & formaliter, sed tantum terminative extrinsece, & ita male audiret, ut in apertam hæresim incideret sine dubio ut asserunt P. Suarez, 1. *to. in 3. part. disp. 1. 6. & 8. lib. 1. de gratia actuali, cap. 8. & 9. & lib. 6. de essentia gratia, cap. 4. & 5. P. Vasq. 10. 1. in 1. p. disp. de visione Dei, quæ est 38. per totam, præcipue disp. 37. contra Armenos, P. Valentia ibidem, & reliqui Doctores quos hucusque vidi cum Divo Thoma, 1. p. q. 12. per totam, & 3. p. q. 1. & 1. 2. agendo de iustificatione hominis.*

Imo, quia extrinsece terminative habet super-naturalitatem ex eo quod producat terminum quoad substantiam intrinsece essentialiter, & formaliter supernaturalem colligitur ab omnibus Doctoribus Patribus, & Concilijs tales actiones esse intrinsece formaliter, & essentialiter supernaturales, quia tales actiones sunt participationes formales per quas in genere causæ efficientis principalis, entitates, quoad substantiam intrinsece, essentialiter, & formaliter supernaturales participat esse à Deo auctore supernaturali formaliter.

Item, actio qua producit entitas spiritualis 29 intrinsece, essentialiter, & formaliter (ut est creatio Angeli, creatio animæ rationalis, emanatio substantiæ Angeli à natura, productio speciei intelligibilis existentis in intellectu Angelico, & productio Verbi mentis, &c.) est intrinsece formaliter, & essentialiter spiritualis sine eo quod habeat aliquid materialitatis, cuius nulla ratio esse potest, nisi quia est participatio per quam entitas spiritualis participat esse spirituale, à causa propria principali efficiente, quatenus entitas spiritualis quod nullus unquam Philosophus in dubium revocavit, neque aliquis ita mentis inops potest reperiri, qui audeat dicere talem actionem seu participationem esse materiale, & corpoream, solumque extrinsece, & terminative esse spirituale, quia fieri, participatio, & actio essentialiter ex sua natura ordinata, primario &

Bbb per

per se ad communicandum esse spirituale terminus spiritualiter debet esse intrinsece formaliter, & essentialiter in gradu in quo est terminus productus per illam, & sic debet esse talis intrinsece, & essentialiter qualis est entitas illius termini extrinseci, qui media tali actione seu participatione participat suum esse à propria causa principali efficiente.

30 Quod adeo verum, & ratum est, ut licet causa instrumentalis, & quæ producit virtute alterius ut quod terminum sit inferioris ordinis, & gradus, ac est terminus productus per illam, nihilominus actio, quæ producit talis terminus superioris ordinis ab instrumento inferioris ordinis non est inferioris ordinis ac est instrumentum, sed potius est in eodem gradu ac est terminus productus per illam; ita ut si terminus sit spiritualis actio sit intrinsece spiritualis, etiam si instrumentum sit corporeum, & si terminus est supernaturalis intrinsece, actio etiam sit intrinsece supernaturalis ut videre est in Sacramentis, quæ licet sint entia materialia corporea, & sensibilia, nihilominus producant gratiam sanctificantem actione spirituali, & supernaturali, non solum intrinsece, & terminative: sed etiam intrinsece essentialiter quoad substantiam formalissimam; & ratio à priori est, quia talis actio specificatur essentialiter non à principio effectivo extrinseco, sed à termino producto per illam: atqui terminus est quoad substantiam intrinsece, & formaliter spiritualis, & supernaturalis; ergo talis actio erit intrinsece, & essentialiter supernaturalis, ac proinde erit supra omnia principia intrinseca entis naturalis à quo fluit.

Præterea si terminus est accidentalis, & materialis etiam actio est intrinsece accidentalis, & materialis, & hoc est ita certum ut etiam si Deus producat accidens materiale non debeat producere illud actione spirituali substantiæ: sed potius actione accidentali, & materiali, & tali intrinsece, & essentialiter, non qualis est Deus qui est substantia spiritualis: sed qualis est terminus per illam productus, quia eo modo est participatio intrinsece, & formaliter, quale est effectus participatum à propria causa efficiente; ergo omnis participatio per quam aliquis effectus participat suum esse à causa efficiente extrinseca non solum terminative, & extrinsece: sed etiam intrinsece, essentialiter, & formaliter est in gradu in quo est effectus, qui participat suum esse à propria causa principali efficiente, id est talis, qualis est effectus.

31 Vergetur, quia ex inductione facta constat actionem, quæ terminatur ad terminum superioris ordinis, & gradus esse in superiori ordine, & gradu, eo in quo est actio per quam producit terminus inferioris ordinis, & gradus; unde actio per quam producit intellectio est in gradu spirituali, vitali, intellectivo, superiori, & perfectiori, gradu in quo est actio per quam producit calor, quia calor productus per talem actionem est in gradu inferiori ac est intellectio producta per primam actionem: sed omnis substantia est in gradu superiori, & perfectiori, ac est gradus in quo est accidens: ergo etiam actio per quam producit omnis substantia est in gradu superiori perfectiori, ac est gradus in quo est omnis actio productiva accidentis, quia actio, fieri, seu participatio alicuius proportionatur, & affi-

milatur cum termino producto per illam, quia essentialiter ordinatur ad illum, & specificatur essentialiter ab ipso: sed gradus, & ordo immediate superior gradu, & ordine in quo est accidens, & actio productiva illius (qui gradu vel ordo dicitur accidentalis) est ordo, & gradus substantialis intrinsece formaliter, & essentialiter, quia ens ut sic, immediate, & adæquate dividitur in entitatem substantialem, & accidentalem tanquam in duos gradus, & ordines adæquate complectentes, & exhaustientes omnem latitudinem entis; ergo omnis actio per quam producit substantia est in gradu, & ordine substantiali intrinsece formaliter, & essentialiter.

Tandem vergetur. Quia omne prædicatum non solum extrinsece terminative: sed etiam intrinsece, essentialiter, & formaliter continetur in tota latitudine actionis, ita ut sub actione ut sic dentur actiones participantes in se intrinsece, & formaliter omnia prædicata intrinsece existentia in proprijs terminis, & ratione illorum (præter gradum substantialem, de quo nunc disputamus), & ideo dantur aliquæ actiones, quæ sunt intrinsece, & formaliter accidentales, aliæ intrinsece, & formaliter corporeæ, aliæ spirituales intrinsece, aliæ vitales intrinsece; item intellectivæ, & amativæ, voluntariæ, & involuntariæ intrinsece, & tandem supernaturales non solum extrinsece, & terminative, sed etiam quoad substantiam intrinsece essentialiter, & formaliter, quia termini producti per illas participant formaliter, & intrinsece talia prædicata: sed etiam termini producti per actiones sunt entitates substantiales intrinsece formaliter, & essentialiter; ergo tales actiones non solum terminative extrinsece: sed etiam intrinsece essentialiter, & formaliter erunt substantiales. Hæc consequentia patet, primo evidenter, quia ubi est eadem ratio formalis est idem effectus formalis: secundo, quia nullum discrimen potest rationabiliter tribui propter quod actiones possint participare omnes gradus entis intrinsece formaliter, & essentialiter, & non participant gradum substantialem: tertio, quia impossibile est, quod inter gradus subordinatos participet aliqua actio gradum superiorem, & inferiorem, & non participet gradum intermedium, quia in rebus subordinatis non datur transitus de termino ad terminum sine medio, ut videre est in homine, & reliquis entitatibus: sed actio per quam producit Angelus participat gradum entis, & gradum spiritalem: ergo necessario debet participare formaliter, & intrinsece gradum substantialem intermedium inter duos illos terminos entis, & spiritus quos participat talis actio, non solum terminative extrinsece: sed etiam formaliter, intrinsece, & essentialiter.

SVBSECTIO II.

Alia argumenta pro nostra conclusione ponuntur.

Tertio sic probatur, & confirmatur amplius dicta; quia videmus actionem corpoream ita affixam esse rei corporeæ producendæ, ut per illam non possit produci res spiritualis, & etc. colligimus ad rem spirituale alioquin actionem

nem requiri, & ratio est quam assignavimus, quia res excellentior petit modum sibi affixum, et si producentem excellentiorem, ut videtur est in luce, quae petit modum actionis sibi intrinsece adhaerentem, ut pote termino productio excellentiorem modo actionis per quem producitur necessario frigiditas: sed actio quae producitur ali- quod accidens est modus intrinsecus ita affixus accidenti, ut medio illo non possit produci substantia, & ex alio capite substantia est perfectior, & excellentior terminus quam accidens: ergo debemus evidenter colligere ad substantiam produ- cendam excellentiorem, & perfectiorem non solum terminative, quia de hoc non est quaestio, sed etiam intrinsece, formaliter, & entitative pro- ductionem requiri, ita ut sicut ad producendam rem spirituales sit necessaria actio spiritualis, & ad producendam rem supernaturalem requiritur supernaturalis modus producendi non solum ter- minative, sed etiam formaliter, & non sufficit na- turalis modus producendi; imo implicat talem modum terminative extrinsece quatenus produ- cit rem supernaturalem intrinsecam esse superna- turem, & non esse supernaturalem intrinsece, formaliter, essentialiter: ergo ad producendam substantiam necessario requiritur non solum mo- dus producendi, qui extrinsece, & terminative sit substantialis, sed etiam intrinsece, & formaliter; imo à paritate rationis exemplorum, quae nuper adduximus implicabit manifeste terminative ex- trinsece esse substantialem, & non esse formaliter intrinsece, & essentialiter talem.

34 Dices ideo non posse separari actionem acci- dentis ab accidente, ita ut possit tali actione sub- stantia produci, non quia requiratur ad produ- cendam substantiam substantialis actio superio- rem intrinsece actione qua producitur accidens, sed quia est modus accidentis, qui ex vi rationis modi petit inseparabilitatem à re cuius est mo- dus, neque enim ex tali inseparabilitate potest colligi modum productionis affixum accidenti esse accidens, modum vero affixum substantiae esse substantialem intrinsece, nam ubi substantiae ita affixum est substantiae, ut non possit separari ab illa, & convenire accidenti, & contra ubi acci- dentis ita est affixum illi, ut non possit separari ab illo, & convenire substantiae, & nihilominus inde non potest colligi ubi substantiae esse sub- stantialem intrinsece, accidentis vero accidentale, quia certum est vtrumque esse accidentalem prae- sentiam, & idem est de relatione quae immediate fundatur in substantia, & in accidente, quae am- ba licet sint modi substantiae, & accidentis, ac proinde omnino inseparabiles ab illis, nihilomi- nus ambae sunt accidentales intrinsece, & forma- liter: ergo ex eo quod actio per quam produci- tur substantia sit modus inseparabilis ab illa, non debet colligi esse substantialem intrinsece, & for- maliter.

35 Sed contra evidenter primo, quia nos non col- ligimus actionem qua producitur substantia esse substantialem, ex eo quod sit modus affixus sub- stantiae praecise, sed potius ex differentia talis modi, quae minime convenit ubi, figurae, relatio- ni, &c. quae differentia in hoc sita est, ut actio per quam producitur substantia sit modus constitu- tivus ut quo substantiae in esse substantiae, tri- buendo, & dando effectui producti per illam in genere causae efficientis principalis ut quo esse substantiale quatenus substantiale, quia talis

R. P. Alph. de Penafiel. Theol. Schol. Tom. I.

actio intrinsece, & essentialiter ordinatur ad pro- ducendam substantiam in esse substantiae, cau- lando formalissime esse substantiale termini producti per illam; ex hac enim ratione differentia, quae convenit actioni, & minime pertinet ubi, figurae, & relationi, liquido, ac manifeste colligimus ta- lem modum actionis, & productionis intrinsece formaliter, & essentialiter esse substantialem, quod innuitur illi principio supra adducto, quia nemo dat quod non habet eo modo quo dat, & eo modo quo essentialiter intrinsece, transcen- dentaliter ordinatur ad dandum, & ideo supra- diximus causam efficientem principalem esse sub- stantiam ut quod, quia tribuit ut quod effectui esse substantiale intrinsecum: sed creatio angeli tribuit ut quo in genere causae efficientis ut cau- salitas principalis effectui producti esse substan- tiale intrinsecum formale: ergo ipsa debet esse intrinsece, & formaliter substantia ut quo, id est actio, seu modus intrinsece substantialis.

Licet ubi, figura, & relatio non sint modi in- trinsece substantiales, quia opposito modo se ha- bent respectu substantiae, quam actio productiva illius, nam esse quod tribuit formaliter substan- tiae non est esse substantiale, sed potius esse acci- dentale, nam relatio, v. g. similitudinis reddit substantiam actu, & formaliter similem alteri, quod est maxime accidentale substantiae, & esse quod tribuit ubi est esse actu praesentem huic lo- co, quod sine dubio esse accidentale est, nam esse simile, & esse praesens potest abesse, & adesse sub- stantiae praeter ipsius corruptionem: ergo esse quod accipit substantia ab his modis est esse ac- cidentale, quid igitur mirum, quod tales modi licet inseparabiles sint à substantia non sint sub- stantiales sed accidentales, cum finis ad quem ordinentur incommodum substantiae sit omnino accidentale: contra vero cum esse quod actio tribuit substantiae, & ad quod tribuendum tran- scendentaliter essentialiter intrinsece ordinatur productio substantiae sit ipsa essentia, & substan- tia Angeli, quae producitur per actionem creati- vam (de qua nullus etiam caecutiens poterit asse- rere esse accidens, quod possit abesse ab Angelo, aut adesse illi praeter corruptionem ipsius Ange- li) evidenter sequitur talem actionem esse intrin- sece formaliter, & essentialiter substantialem.

Secundo contra, quia de ratione accidentis est 37 ut supponat subiectum suum actu complete exi- stens, & constitutum secundum completum con- ceptum substantiae, nam accidens ideo tale dicitur, quia accedit substantiae iam completae in suo esse substantiali, ita ut accidens nullum comple- mentum substantiale tribuat subiecto, ideo enim substantia non est accidens substantiae, quia non praesupponit substantiam ultimo comple- tam, sed potius ipsa substantia completur per substantiam, ac proinde non dicitur substan- tiam accedere, aut accidere substantiae, accideret autem aut accederet substantiae, si supponeret iam completam illam in suo esse, & ita complete ad- veniret ut videre est in relatione, quantitate, qua- litate, &c. sed actio productiva substantiae non praesupponit substantiam ultimo, & integre ac complete constitutam cui adveniat, & accidat, quia actio per quam producitur substantia est via, seu fieri substantiae, & ratio formalis media qua accipit esse substantiale de novo, quod ante actio- nem non habebat; & posterioritate naturae post actionem habet: ergo actio qua producitur sub-

B b b b 2 stantia

stantia intrinsece, & formaliter à parte rei non est entitas accidentalis, sed potius substantialis intrinsece, & formaliter: hæc consequentia patet, quia ens ut sic provt abstrahit à rebus, & modis adæquate, & immediate dividitur in entitatem formaliter, & intrinsece substantialem, & in entitatem intrinsece, & formaliter accidentalem, ita ut talis divisio sub se comprehendat omnem latitudinem entis sine vlla exceptione: sed actio qua producit substantia est vere, & formaliter ens intrinsece: ergo vel est substantiale formaliter, & intrinsece, aut accidentale formaliter, & intrinsece: sed actio illa non est formaliter accidentis: ergo est formaliter, & intrinsece substantialis.

38 Declaratur amplius, quia id quod ex genere suo est prius non potest ex genere suo esse posterius respectu eiusdem: sed actio est prior natura, quam terminus productus per illam: ergo actio non potest esse posterior termino à se producto: sed actio, qua producit omnis substantia est vera actio; ergo actio qua producit substantia ex genere suo est prior natura quam substantia: ergo non est posterior substantia; ergo non supponit substantiam, neque ita suppositæ advenit, aut accidit: sed potius datur prius natura quam substantia, & ideo datur ut constituat substantiam in esse substantia: tribuendo illi esse substantiale quod habet in genere causæ efficientis ut quo; ergo ipsa est substantialis ut quo intrinsece, & formaliter, ac proinde modus substantialis, & non accidentalis.

SVBSECTIO III.

Retorquetur argumentum principale adversariorum contra ipsos.

39 Vltimo retorqueo argumentum fabricatum à P. Hurtado contra nos ex divisione substantiæ quam fecit Aristoteles in materiam, formam, & compositum, ex qua sic colligitur in ea divisione non est comprehensa actio: ergo vel actio non est substantia, vel eam Aristoteles curte divisit, quia actio neque est materia, nec forma, nec compositum.

40 Ego autem contra Hurtado sic insurgo eisdem pene verbis, quibus vitur adversarius, at in ea divisione non est comprehensa supposititas, & substantia; imo, nec vnio substantialis inter materiam, & formam: ergo vel istæ non sunt substantia, vel curte divisit Aristoteles: probo minorem, quia supposititas, & substantia; item, & vnio nec sunt materia, nec forma, nec compositum de supposititate clarum est, quia neque identificatur cum materia, nec cum forma, nec cum composito ex materia, & forma; siquidem humanitas Christi habet veram materiam, veram formam, & verum compositum ex illis, & nihilominus non habet supposititatem creatam propriam, item vnio distinguitur tanquam excludens ab excluso à materia, & forma, & absolute distinctione includentis ab inclusio à composito, ac proinde vnio absolute non est compositum, neque materia nec forma; ergo non sunt comprehensæ in tali divisione: ecce tuo gladio iugularis.

41 Dicit Hur. in composito comprehendisse vnionem.

42 Contra primo manifeste, quia bona divisio

non debet esse in membra dividenda implicite: sed potius in membra dividenda expresse annumerata, & ideo hæc non esset bona divisio vitæ ut sic, vita dividitur in vegetativam, & rationalem, quia non dividitur in tria membra explicite, scilicet in vegetativam, sensitivam, & rationalem; neque esset alicuius momenti excusatio dicentis, vitam sensitivam includi formaliter in rationalem seu humanam, neque à viro docto eiusmodi excusatio admitteretur, quia bona divisio debet dari clara, & cum distinctione, ac proinde debet tradi clare, & distinte per omnia membra eo modo quo inter se distinguuntur, etiam si vnum includatur in alio: sed vnio etiam si includatur in composito distinguitur ab illo, & absolute ac simpliciter non est illud: ergo divisio in qua non annumeratur vnio, sed confuse relinquitur, ex eo quod includatur, non erit bona divisio; siquidem est membrum distinctum dividens substantiam ut sic.

Secundo contra, & rogo quare comprehendatur vnio in illo tertio membro dividente? Respondet, quia est constitutum essentialiter compositi, & pars illius sine qua neque esse neque intelligi potest compositum.

Sed contra liquidius, & elarius, quia etiam forma substantialis est essentialiter constitutum compositi, & pars ita de essentia totius, ut neque esse, neque intelligi possit compositum sine forma substantiali, ac proinde formalissime, & essentialiter includitur in composito, & nihilominus esset mala divisio in qua annumeraretur, vel solum compositum, quia utramque partem includit, vel in qua annumeraretur materia, & compositum ex eo, quod licet forma includatur in composito, & constituat essentialiter illud, nihilominus distinguitur ab illo à parte rei, & absolute non est illud, sed potius aliud membrum dividens substantiam, cum distinctione ab ipso; & ratio est manifesta.

Quia bona divisio non debet respicere inclusionem materiale, sed potius distinctionem, partitionem, & separationem, ac proinde divisionem, à dividendo enim divisio dicitur; ergo licet forma includatur in altero membro dividente, dum tamen non annumeretur distinte, & clare erit curta, & non bona divisio.

Tunc sic, licet vnio includatur materialiter in composito, distinguitur tamen realiter ab illo, & est membrum quoddam condidens formaliter cum composito substantiam: ergo licet includatur in illo non erit bona, sed potius curta divisio Aristotelis, si ipse voluit dividere substantiam ut sic provt abstrahit à modali, & reali: sed vel non est recta talis divisio, vel vnio non est substantia; unde si vult Hurtado utrumque componere debet, si recte loquatur dicere Aristotelem ibi noluisse dividere substantiam ut sic, provt abstrahit à modali, & reali, sed solum divisisse substantias reales, materiam scilicet, formam, & compositum, licet duo illa membra includantur in tertio, quia illa inclusio maxime materialis est ad divisionem, quæ non respicit compositionem, & inclusionem vnus in alio, quæ ratione compositionis est, sed potius separationem, & partitionem, & ut ita dicam destructionem, quia intendit sic separatum cognoscere, quæ recta explicatio est, & menti Aristotelis, ac contextui conformis, quia

Quaest. V. Vtrum detur actio substantialis? 565

qua funditus enervatur vis argumenti Hurtado, nam si ibi divisio est substantiae realis, sicut non potuit includere unionem quia est modus, ita ut recta esset non deberet numerare actionem, quia etiam modus est.

47 Sed deus substantiam illam abstrahere à modali, & reali, certe sicut excusat Hurtado divisionem Aristotelis à defectu curae, quia vno includitur in composito, etiam & à fortiori possum excusare talem divisionem, quod non numeraverit actionem, quia etiam actio includitur non solum in composito sed etiam in materia, & forma, quod patet sic, nam Aristoteles divisit substantiam creatam, & physicam in materiam, formam, & compositum; (nam de increata iam vidimus quod huius disputationis dixisse Aristotelem esse omnino indivisibilem, ac simplicem sine vlla inclusione materiae, formae, & compositionis:) atqui materia creata, forma creata, & compositum creatum de formali significant creationem, sicut de formali compositum dicit compositionem; ergo in tali divisione non erat necesse ut explicaretur creatio; siquidem creatio non solum includitur in vno membro dividende, sed in tribus, quandoquidem ex eo solum quod in vno membro includatur compositio, asserit Hur. non debere explicari in divisione Aristotelica sine defectu curae talem unionem, seu compositionem.

48 De substantia autem, quae in sententia P. Hurtado est res, & non modus, magis urget difficultas propter rationes supra positas contra P. Hurtado, & ideo hic auctor ait, comprehendisse illam Aristotelem in composito, quia à natura distingui, nec assequutus fuit Philosophus nec potuit.

49 Contra primo, quia tu etiam asseris relationem fundatam in substantia non distingui ab illa, & à substantia termini secundum sententiam Aristotelis, sicut etiam univocaliter asseris nullam relationem praedicamentalem distingui ab absolutis secundum mentem Philosophi, & nihilominus agens Aristoteles, & dividens relativum patitur illud in relationem, fundamentum, terminum, & rationem fundandi, ut nihil ignotum remaneret ex his, quae ad relationem necessario requiruntur; praecipue si secundum formalitates distinguantur. Item agens de praedicamentis, praedicamentum relationis divisit à ceteris praedicamentis absolutorum, & praedicamentum actionis à praedicamento passionis, licet haec duo identificentur à parte rei, ut tu asseris secundum Philosophum, in quo optime processit ut recte doceret, quid formaliter vnumquodque ex illis praedicamentis esset in se, & haberet non obstante identitate materiali inter illa, quia ad divisionem praedicamentorum, & formalitatum non est attendenda materialis identitas, sed potius distinctio formalis, quam inter se habent per intellectum, & virtualis quam habent à parte rei.

50 Clarius exemplum, tu asseris Aristotelem sensisse, intellectum, voluntatem, & memoriam non distingui ab anima, & nihilominus Aristoteles agens de anima divisit illam secundum gradus vivendi, & secundum potentias, imo potentias inter se separavit, licet inter se non distinguantur, (quia quae sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se) imo data opera egit de intellectu prout distinguitur à voluntate, de essentia intellectus prout distinguitur à voluntate, tribuendo formalitates, & praedicata vni potentiae, quae non conveniunt al-

teri: sed relictis exemplis probabilibus, certis utamur in sententia Aristotelis, nam ipse agens de Deo 12. metaphysicae, & asserens esse simplicissimam entitatem sine aliqua distinctione, & compositione divisit in Deo essentiam à perfectionibus, & perfectiones inter se, & actus voluntatis divinae secevit à voluntate, licet nullus sit qui audeat dicere actum voluntatis necessarium distingui à parte rei ab ipsa voluntate.

Præterea, quia agens de vnoquoque praedicamento, v.g. de praedicamento substantiae, divisit illud in varia genera, & species usque ad individuum, imo, & ipsum ens divisit in accidens, & substantiam, & addit addere substantiam supra ens perfectitatem, licet perfectitas non distinguatur à parte rei ab ente, neque praedicata, quae species, & genera sunt in praedicamento substantiae distinguantur inter se, in quo optime processit Aristoteles, quia licet non distinguantur à parte rei, nihilominus sunt perfectiones, & formalitates scitu dignae, quas consequuntur variae proprietates, & munera sine dependentia ab alijs, ac si inter se realiter distinguerentur, ac proinde dignum est, ut sine confusione aliqua, sed potius cum summa claritate, & distinctione cognoscantur, quod non posset fieri nisi per intellectum dividerentur, & secernerentur, & prout sic divisae, & secrete doctrinali modo traderentur, ad quod sufficit fundamentum quod reperit intellectus in ipsis rebus, & formalitatibus ad distinguendas, & dividendas illas, etiam si identificentur à parte rei materialiter, quod facit intellectus ut cognoscat, & penetret quid vnaquaeque prout aliquo modo distinguitur ab alia continet in se, & ut sic penetrare tribuat unicuique sine fallacia, & fallitate id proprium, & peculiare, quod ipsi cognovit convenire, alias si propter solam identitatem materialem omnia permixtum cognoscerentur, sine dubio confusio, & obscuritatis tenebras rebus ipsis offunderet intellectus, & magnum damnum ingereret discipulis, & doctrinae magistri incumbenibus, ex quo emergeret sine dubitatione ingens inconveniens tribuendi videlicet vni formalitati quod alteri convenit; ergo ne absurda haec sequantur, dicendum est iure optimo non obstante quacumque identitate materiali à parte rei debere fieri divisionem rerum, quae est vnum ex instrumentis sciendi, cum formali, & explicita annumeratione omnium membrorum etiam si solum formaliter inter se distinguantur, sed licet Aristoteles non cognoverit distinctionem à parte rei (quod maxime dubitatur apud Doctores); nihilominus cognovit clarissime, & formalissime supposititalitatem esse terminum naturae, convenireque illi formaliter aliqua munera scitu digna, prout aliquomodo distinguitur ab ipsa natura, & essentia, ratione cuius loquutiones illae vulgares attribuntur Aristoteli actiones esse suppositorum non naturarum, humanitas non nec aut ambulat, sed homo; alia substantia est quidditas, alia hypostasis, quae loquutiones licet expresse non reperiantur in Philosopho, nihilominus aliquod fundamentum reperitur in ipso ad illas; praecipue quando loquitur de Angelis, & substantiis separatis, in quibus videtur docere supposititalitatem non distingui à natura, & suppositum ab essentia, licet hoc aliter contingere iudicet in compositis materialibus, ut patet ex 7. metaphysicae, cap. 11. in cuius fine haec verba profert, in primis substantiis quod quid est esse idem cum eo, cuius est, in his vero, quae habent

566 Disp. IX. De prædicamento Substantiæ,

materiam non esse idem, sic ille.

Per primas autem substantias intelligit ibi Divus Thomas substantias spirituales: ergo saltem in materialibus compositis iudicat Aristoteles supposititalitatem esse formalitatem aliquo modo distinctam à natura, habereque perfectionem peculiarem sibi propriam, ratione cuius debebat Aristoteles doctrinæ claritati consulens, dum divisio fit substantiæ annumerare explicate supposititalitatem inter membra substantiæ, & non implicite relinquere in composito, alias curte procederet Aristoteles; ne ergo hac macula inficiatur Philosophus, dicendum est membrum illud dividens solum esse substantiam realem physicam, sub qua non comprehenduntur ut membra actio, quia est modus, & supposititalitas, & substantia propter eandem rationem, licet contrarium sentiat Hurtado.

51 Præterea, quia ex eo quod una res identificatur cum alia non colligitur includi in alia, ac proinde si est membrum dividens, non debet in annumeratione cæterorum membrorum tacite relinqui, actio enim identificatur cum passione, & nihilominus una non includit aliam, ac proinde si in annumeratione prædicamentorum relinqueretur passio, curta esset divisio, quia in doctrinali divisione non obstat identitas duorum ut una formalitas includatur in alia, & ut in recta divisione non explicentur illa membra, quorum formalitates sese formaliter excludunt: ergo similiter licet Aristoteles intelligeret substantiam identificari cum natura (quod adhuc dubitatur inter Doctores;) non obstat illa identitas ut supposititalitatis formalitas includeretur in naturæ formalitate, & ut in recta divisione, ambæ explicarentur, cum in sententia Aristotelis formalitas substantiæ, & supposititalitatis tantum distincta formalitate naturæ (imo ambæ ita sese excludant) ut prædicata contradictoria, de ijs prædicet ipse Aristoteles: ergo nulla vis est argumenti Hurtado contra nos, cum innitatur falsæ intelligentiæ divise ab Aristotele in formam, materiam, & compositum.

SECTIO III.

Solvuntur argumenta.

52 Ad primum iam responsum est evidenter, eique clare satisfactum.

Ad secundum distinguo, non constituit producendo, nego; de quo satis supra ad secundam partem dico, nec etiam mutata hac numero unio esse aliud compositum, nec Ioannes erit Petrus, imo nec mutata hac numero materia desinet Pater Hurtado esse ipse numero, & nihilominus hæc unio est substantia, & hæc materia: ergo nihil urget argumentum.

53 Ad confirmationem, dico falsum esse modum illam concipiendi naturam; prius concipimus actionem, & postea substantiam, quia prioritate naturæ antecedit actio terminum, imo non potest concipi substantia creata sine participatione, seu dependentia à Deo constituyente substantiam in suo esse, & ideo necessario talis participatio est substantia.

QVÆSTIO VI.

De secunda divisione substantiæ in primam, & secundam.

SECTIO I.

Sententia adversariorum proponuntur.

PRIMA sententia asserit hanc divisionem, tam quoad divisum, quam quoad membra dividenda esse realem, ac primo intentionalem, & nihil rationis includere: huius patronus sententiæ videtur Cicerianus in prædicamento substantiæ, & alij, & probatur sic.

Primo, quia divisum est substantia ut sic, & dividenda sunt prima, & secunda substantia, v. g. animal, homo, & Petrus, sed hæc omnia sunt realia: ergo divisio absolute, & simpliciter est realis.

Secundo, quia omne, quod est in prædicamento substantiæ est reale, in prædicamento enim nihil rationis collocatur: sed hæc divisio est ex ijs solum, quæ in prædicamento collocantur: ergo hæc divisio absolute, & simpliciter est realis, seu primo intentionalis.

Secunda sententia asserit absolute esse rationis, & secundo intentionalem, ita ut tam prima, quam secunda substantia, sint nomina secundæ intentionis, & de formaliter significare quoddam accidentis rationis, nempe rationem subiecti, & prædicati, ita Soto in *Logica, cap. de substantia*.

SECTIO II.

Nostra sententia probatur.

PRIMA conclusio: absolute, & simpliciter hæc divisio secundum omne quod dicitur, non est nec ex omni parte debet dici primo intentionalis, ac realis, & probatur.

Primo, quia illa divisio sumitur primo intentionaliter, absolute, & simpliciter in qua tam divisum quam membra dividenda formaliter accipiuntur, hoc est, quia sunt membra dividenda formaliter divisum sumuntur realiter; sed in hac divisione substantiæ in primam, & secundam, & si divisum sumi possit realiter, membra tamen dividenda non possunt realiter sumi: ergo divisio hæc est difficile sumi potest, imo non potest absolute, & simpliciter primo intentionaliter.

Maiores certa, minorem vero ita ostendo. Quia divisum vel est proprietas substantiæ divisa in diversos modos, eandem participandi, vel in diversos modos efficiendi substantiam, quibus communis, vel divisum est essentia completa entis, per se in varios modos participandi substantiam, & modum ultimo complementem; aliud enim divisum reale excogitari nequit, ut farentur etiam Authores oppositæ sententiæ, sed divisum in utraque acceptione dividi nequit, per membra dividenda, quæ accepta formaliter, & dividunt divisum sunt membra realia realiter accepta: ergo probatur minor, quia membra dividenda sunt prima, & secunda

Quæst. VI. De Divisione substantiæ, &c. 567

secunda substantia cum modis diversis participandi proprietatem substandi, vel afficiendi, aut denominandi substantis; sed prima, & secunda substantia quatenus tales, & modi isti non sunt reales: sed solum relationes rationis denominantes secundas, & primas substantias, genera, & species individua completa primas, &c. quod inde constat, quia à parte rei non sunt secundæ substantiæ formaliter acceptæ: sed tales dicuntur per relationem rationis ad individua completa: ergo.

5 Confirmatur primo, ordo realis prioris, & posterioris, primarij, & secundarij in participatione alicuius proprietatis realis communis reperiri non potest, nisi inter ea quæ realiter differunt inter se, quia talis ordo necessario fundatur in dependentia aliqua reali; sed prima, & secunda substantia non differunt realiter: ergo inter illas reperiri non potest ordo realis prioris, & posterioris in participatione proprietatis substandi accidentibus: ergo iste ordo, solum erit rationis; tum sic, prima, & secunda substantia sunt membra dividentia, prout subsunt huic ordini: sed ordo est rationis: ergo, & membra dividentia erunt formaliter rationis.

6 Confirmatur secundo, sub ea ratione dividuntur prima, & secundæ substantiæ sub qua inter se opponuntur, ut una essentialiter non includatur in alia, sive cum illa non identificatur: sed prima, & secunda substantia accepta realiter non opponuntur, & secunda identificatur cum prima, quia genera, & species sumpta realiter sunt de conceptu essentiali primatum substantiarum: ergo prima, & secunda substantia sumpta realiter non dividuntur: ergo solum quatenus per solam relationem rationis primæ, & secundæ opponuntur.

7 Secundo probatur principaliter conclusio: omnis divisio in qua tam divisum, quam membra dividentia sumuntur realiter, vel est divisio generis in illas species, vel analogi in sua analogata, vel subiecti realis in accidentia realia, vel accidentis realis in subiecta realia, vel accidentis in accidentia realia: sed divisio substantiæ in primam, & secundam sumpta realiter pro divisio, & membris dividentibus nullo ex dictis modis accipi potest: ergo, maior constat ex Summulis; minor vero ita ostenditur, & imprimis quod non sit generis in species probatur primo, quia divisum adæquate coincideret cum uno ex membris dividentium, nempe cum secunda substantia, genera enim, & species sunt secundæ substantiæ, secundoque nec posset dividi in primam substantiam, & secundam, quia sicut secundo substantiæ non possunt dividi in secundas substantias, quia in se ipsas dividerentur ita nec genus illud quod esset secunda substantia. Tertio, quia esset divisio generis in species reales, vel divisum esset substantia secundum essentiam in substantias speciales, secundum speciem differentes inter se, vel substantias, ut dicitur proprietatem substandi in varias proprietates substandi specie distinctas, vel in diversos modos realiter, & secundum speciem participandi eandem proprietatem substandi; non primum, tum quia primis, & secundis substantijs non potest dari aliquis conceptus communis universalis præter ipsum conceptum secundæ substantiæ, ab homine enim, & Petro abstrahi nequit aliquid commune; & essentialiter formaliter universale, nisi ip-

sum esse animalis, vel hominis, scilicet genus, vel species; tum etiam, quia secundæ substantiæ, & primæ sumptæ secundum esse reale, non differunt specie: sed potius primæ, quia sunt sub secundis substantijs specificis, vel genericis dicuntur esse eiusdem speciei, & eiusdem generis; denique, quia quæ differunt specie sunt contrahibilia per differentias individuales diversas, cum unitas specifica secernatur realiter ab unitate numerica: sed secundæ substantiæ contrahunt, & determinant per eandem differentiam individua, quæ primæ substantiæ: ergo.

Nec substantia secundum modo accepta potest 8 esse divisum, tum quia sicut una, & eadem est realiter, & secundum speciem, & numerum substantia complens substantiam primam, & secundam, ita etiam una, & eadem est secundum numerum, & speciem proprietatis substandi accidentibus, quæ substantiam illius completam consequitur; unde substantia sumpta pro proprietate substandi, non potest dividi in illam, tanquam in duos realiter secundum numerum, & speciem differentes, quod intendimus, nec divisum potest esse eadem substantia sumpta pro eadem proprietate substandi in diversos modos reales, ac realiter distinctos, & secundum speciem differentes participandi eandem proprietatem.

Secundo, quia modi sequuntur res quarum, sunt modi: sed substantia prima, & secunda à parte rei identificantur realiter, & formaliter: ergo & modi, qui illas afficiunt à parte rei identificantur inter se realiter: ergo à parte rei non erunt modi illi realiter diverſi. Nec divisio potest esse analoga in analogato.

Primo, quia non est analogia ubi non est vera 10 ra distinctio realis cum dependentia, aut transcendentia analogatorum secundum adversarios: atqui inter primam, & secundam substantiam, non est vera, & realis distinctio, cum vera, & reali dependentia, & cum transcendentia.

Deinde probatur divisionem non esse subie- 11 cti realis in accidentia realia, nec accidentis realis in diversa subiecta realiter distincta, nec accidentis realis in alia accidentalia realia, quia si esset divisio subiecti realis in accidentia realia, divideretur substantia secundum essentiam in diversas proprietates substandi, vel in varios modos participandi eandem proprietatem substandi: sed probatum est unam, & eandem proprietatem substandi convenire primis, & secundis substantijs propter identitatem inter illas, & varios illos modos realiter distinctos participandi illam esse impossibiles, & chimericos: ergo.

Præterea, non potest esse divisio accidentis 12 realis in diversa realia realiter distincta subiecta.

Primo, quia proprietates substandi non respi- 13 cit ut diversa realiter subiecta primam, & secundam substantiam cum à parte rei idem sint formaliter, & realiter.

Secundo, quia accidens quod dividitur non 14 potest eodem numero conveniri à parte rei pluribus subiectis in quæ dividitur: sed necessario multiplicari debet realiter, iuxta multipliciter realem subiectorum, in quæ dividitur: sed eadem numero proprietates substandi convenit à parte rei primæ, & secundæ substantiæ: ergo non dividitur in primam, & secundam substantiam, tanquam in subiecta realia. Tertio subie-

568 Disp. IX. De prædicamento Substantiæ,

Etia dividuntur accidentia aliquod reale, non possunt inter se convenire, sub ea ratione qua dividuntur: sed prima, & secunda substantiæ sumptæ primo intentionaliter coeant in vnam rationem subiecti realis substantiantis accidentia: ergo proprietates substantiandi non potest dividi in illas tamquam in subiecta realia.

15 Ultimo ostenditur divisionem esse non posse accidentis realis in varia accidentia realia, quia varia illa accidentia, quæ sint membra dividenda, designari nequeunt, nam modi illi diversi participandi, impugnati sunt supra: restat ergo ut divisio non sit absolute, & simpliciter primo intentionalis: sed quæ sit realis ex parte divisi, & ex parte entitati membrorum dividendum: rationis tamen quoad distinctionem inter illa, & quoad denominationem eorum, primæ, & secundæ substantiæ, ut videbimus.

16 Secunda conclusio: falsa est opinio Scoti, & probatur sic, quia hæc divisio est metaphysica, & in ordine ad cognoscendam essentiam substantiæ prædicamentalis: sed essentia substantiæ, & metaphysica divisio melius intelligitur per prædicata realia seu proprietates reales, quam per accidentia rationis: ergo falso ait Soto hanc divisionem esse simpliciter per secundas intentiones.

17 Deinde, ut optime ait Pater Suares, talis divisio non videtur accommodata menti Aristotelis, nam ille non declaravit rationem substantiæ quam in prima, & secunda reperiri supposuit per aliquam relationem rationis, nec similiter per denominationem aliquam, sumptam ex conceptibus nostris, sed per proprietatem realem subsistendi in se, quam per illam negationem declaravit, non esse scilicet in subiecto, neque enim dici potest, quod illam etiam negationem sumpsit in ordine ad secundas intentiones, ita ut non esse in subiecto, idem sit, quod non prædicari de subiecto, nam in hoc sensu falso diceretur commune esse omni substantiæ in subiecto non esse, secundis enim substantiis hoc non conveniret cum prædicentur de primis, vel de inferioribus substantiis; unde Aristoteles expresse distinguit esse in subiecto, & dici de subiecto, ut hoc sit prædicari illud inesse, & sic de secundis substantiis ait non inesse subiecto, licet dicantur de subiecto: sumit ergo illam negationem ad describendam realem proprietatem substantiæ, quæ est per se esse. Deinde substat accidentibus proprietates est realis, & non secunda intentio, & ideo dixit Aristoteles corruptis primis substantiis, impossibile est aliquid remanere, quia in eis realiter insunt accidentia. Deinde, quia substat relatum ad secundas intentiones, seu ad opera mentis subiei, hoc autem modo non tantum substantiæ, sed etiam accidentia substantiant alijs accidentibus, & secundæ substantiæ non semper substantiant hoc modo propter primas, præsertim in propositionibus, quæ non dicunt actualem existentiam.

18 Tertia conclusio: divisum in hac divisione, & proprietates realis substantiandi accidentibus, quæ ex prima substantia redundat in secundam substantiam. Explico hanc conclusionem cum Patre Suarez, quia optime in hac materia locutus est, huiusmodi proprietates secundum quam dividitur substantia, in primam, & secundam est subsistere, vel substat, quæ formaliter non dicunt essentiam substantiæ, nam substat accidentibus acci-

dentale est substantiæ, subsistere autem actualiter ut terminus naturæ est extra essentiam illius, ut supra late dictum est: sed dicunt proprietates quasdam, seu conditiones substantiæ, quæ per se primis quoad exercitum conveniunt, & suo modo illam afficiunt, consequenter vero etiam afficiunt genera, & species substantiarum, quatenus in singulari sunt, atque hoc modo non repugnat aliquid esse commune substantiæ singulari, & universali, præsertim quia hæc communitas, & divisio licet quoad distinctionem membrorum sit rationis, & etiam quoad denominationem primæ, & secundæ substantiæ, ratione cuius dixi non esse primo intentionalem absolute, & simpliciter, tamen quoad ipsam convenientiam, si attente consideretur, non tam est rationis, quam realis, id est non est per solam similitudinem a qua abstrahatur conceptus communis secundum rationem, sed est per realem participationem eiusdem substantiæ, homo enim, & Petrus, ratione quidem distinguuntur, tamen eo modo dicitur homo subsistere in Petro, quia eadem realis substantia Petri est etiam realis substantia naturæ humanæ: & similiter qua capacitate, seu virtute Petrus substat albedini, substat etiam homo, sicut existere potest dici commune prædicatis singularibus, & universalibus non communitate rationis, & abstractionis: sed realis, quia eadem numero existentia, qua singulare existit, & universale iuxta hunc modum, non est difficile intelligere divisum commune primæ, & secundæ substantiæ.

Dices hanc divisionem non posse compati cum denominatione primæ, & secundæ substantiæ, nam si prima substantia dicitur, quia primo substat accidentibus, etiam accidentibus genericis, poterit dici prima, nam accidentibus genericis, & specificis primo substantiant secundæ substantiæ, quam primæ, quia primo eis conveniunt, & ratione illorum primis, ut esse sensibile, &c. ergo divisum non est ratio substantiandi accidentibus.

Contra, nam licet accidentia generica, & specifica quoad essentiam, & ordinem transcendentialem formalem prius conveniant generi, & specie, tamen genus, & species non substantiant actu illis accidentibus, nisi quatenus in individuas existant, non enim rationem subiecti respectu eorum accidentium decercent, nisi existant non existunt, nisi in individuis, quare individua sunt prima in substantiando, & propter hæc secundæ substantiæ substantiant.

Dices aliter illud conceptum substantiandi, hoc ipso quod communis est esse quid abstractum à singularibus, & consequenter esse secundam substantiam: ergo repugnat dividi in primam, & secundam.

Contra, quia licet communis sit ille conceptus non est substantia secunda, quia non est communis tamquam gradus essentialis specificus, vel genericus, nec est abstractus, secundum aliquam convenientiam essentialem, vel eminenter primas completas substantias, quod est de ratione secundæ substantiæ: id est communis per denominationem ab eadem proprietate substantiandi.

Quarta conclusio: membra dividenda huius divisionis quoad distinctionem, & relationem primæ, & secundæ sunt membra rationis.

Prima pars sic patet, quia illa membra, nec realiter, nec ex natura rei distinguuntur, ut satis dictum

dictum est in *Tractatu de Universalibus*, ergo totam distinctionem habent dependentem à ratione, & sic reduplicative quoad illam erunt entia rationis; Sæpe enim contingit distinctionem esse rationis, & membra esse omnino realia, vt de misericordia, iusticia, & alijs Dei attributis constat. Secunda pars patet, quia inter illa quæ realiter, non distinguuntur non potest esse relatio realis: sed relatio primæ, & secundæ substantiæ est inter primam, & secundam, quæ non distinguuntur à parte rei: ergo membra diuidentia quoad illam non sunt realia: sed rationes.

25 Ex quibus euidenter colligitur hanc divisionem nec esse puro primo intentionalem, vt asserbat Caietanus, nec puro secundo intentionalem: sed esse mixtam, ex reali, & rationis, &c.

26 Vltima conclusio: hæc divisio est accidentis in subiecta, & probatur sic breuiter, quia subistere accidentibus est proprietas accidentalis; prima autem, & secunda substantia sunt subiecta huius accidentis in quæ dividit, &c. ergo hæc divisio est accidentis in subiecta.

27 Confirmatur, ideo divisio albi in parietem, & animal est divisio accidentis in subiecta, quia albedo est accidens, & paries, & animal, quæ sunt membra diuidentia sunt subiecta albedinis: sed vt diximus subistere est accidens, & prima, & secunda substantia, quæ sunt membra diuidentia illius sunt subiecta substandi: ergo hæc divisio est accidentis in subiecta.

28 Probabiliter etiam potest dici diuisum esse substantiam conceptam secundum se sine relatione vniuersalis, solum cognitam sub ratione essentiali substantiæ secundum suam nimirum prædicata essentialia, & membra diuidentia erunt substantia vniuersalis, quæ secunda est, & particularis, quæ prima dicitur; nam sicut potest concipi aut singularis effecta, aut effecta vniuersalis relatio neque vniuersalis affecta, ita potest etiam dividi in primam, & secundam substantiam, & hæc divisio erit subiecti in accidentia, vt quando dividi tum homo in album, & nigrum, sicut enim supra diuisimus unitatem formalem, & essentialiam in vniuersalem, & particularem, ita possumus dividere essentiam substantiæ in communem, & particularem.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta Adversaria solvuntur.

19 Ad primum argumentum concedo maiorem, & distingo minorem; sunt realia quoad entitatem concedo, quoad distinctionem, & relationem, seu denominationem primæ, & secundæ, nego.

30 Ad secundum concedo maiorem, & distingo minorem, ex ijs solum quæ in prædicamento collocantur cum distinctione rationis, & denominatione primæ, & secundæ concedo, sine illis nego; unde absolute, & pure non est divisio rationis nec realis, vt supra dixi.

R.P. Ildeph. de Peñafel. Theol. Schol. Tom. I.

QVÆSTIO VLTIMA.

De proprietatibus Substantiæ.

Ex proprietates, vel quasi proprietates assignat Substantiæ Aristoteles, cap. de Substantia, in prædicamentis, in quibus numerandis servabo ordinem perfectionis.

Prima, & maxima proprietas substantiæ est, 2 quam his verbis assignat in fine capituli. Maxime vero substantiæ proprium hoc esse videtur, idem inquam vnumque numero permanens; contrarium esse susceptivum; quare nihil in ijs, quæ substantiæ non subeunt rationem proferre non possit, in quibus optime denotat Aristoteles, quod substantia eadem numero perseverans, id est in eodem statu substantiali permanere potest in se recipere contraria, vt calorem & frigiditatem, scientiam & honorē, vitium & virtutem; hæc autem proprietas omni substantiæ convenit, si creata sit. Explico illam, prima substantia duo habet, quorum ratione convenit illi hæc proprietas. Primum est quod sit hoc aliquid, hoc est substantia singularis, & per se subsistens; secundum quod sit primum subiectum omnium accidentium, & propter primum convenit illi esse vnam numero sub diversis accidentibus, propter secundam esse contrarium susceptivum; nam propria contrarietas inter accidentia reperitur, quo circa ratione utriusque convenit illi integra proprietas, nempe vt vna numero cum sit contraria in se recipiat, neutrum autem convenit accidentibus, vt de se patet, & licet per prius conveniat per rationem primis substantijs recipere, seu suscipere contraria, nihilominus secundæ etiam substantiæ convenit suscipere contraria, subistere enim accidentibus etiam secundis substantijs convenit, vt supra diximus: atqui multa ex ijs accidentibus, quibus substantia secundæ substantiæ sunt contraria: ergo secundis substantijs convenit recipere contraria. Adde quod vt bene adnotant Albertus, Antonius Andreas Cerna, & alij primæ substantiæ habent recipere accidentia, & consequenter contraria virtute secundarum, quia virtus tam productiva quam receptiva convenit primæ, non ratione individuationis, sed ratione naturæ substantialis, individuatō autem est status vel conditio non poterit secunda substantia actu subistere accidentia itaque prima ratione singularitatis vt conditionis, & ratione naturæ vt propter rationem formalem recipit contraria, secunda autem substantia recipit etiam; quia tribuit virtutem primæ, vt recipiat illa, unde prima vt quod, secunda vt quo recipiant, sed secunda secundum se non potest actu recipere nisi quatenus est in prima, quia recipere, aut quæcunque actu causalitas supponit existentiam, quæ non datur secundis nisi quatenus sunt in primis.

Dices, quantitas Eucharistiæ modo est frigida, & modo est calida, & eadem modo superficies modo est nigra, & modo est alba, & idem numero intellectus modo afficitur scientia, modo errore: ergo esse susceptivum contrariorum non est proprium substantiæ; siquidem convenit ijs omnibus accidentibus.

Cccc Contra.

Contra, nam licet accidentibus ut quantitati, &c. conveniat suscipere contraria, nihilominus convenit illi ut subiecto minus principali; nam accidentia dicuntur subiecta minus præcipua contrariorum, quod habent in virtute substantiæ; unde substantia virtute propria, & ut principale subiectum est ex sua natura capax sustentandi accidentia contraria, quæ capacitas non autem actu recipere est proprietas substantiæ.

5 Secunda proprietas, aut quasi proprietas si solum pro negatione inherentiæ sumatur, non solum substantiæ, sed etiam aliquibus modis accidentibus convenit, qui non inheret, sed adheret; si autem sumatur pro negatione essendi in subiecto absolute, ut supra agentes de definitione accidentis explicuimus, proprietas est substantiæ, quæ nulli alteri convenit. Explico, modus essendi per se quem habet substantia, & modus essendi in alio tanquam in subiecto, quem habere dicuntur accidentia, sunt modi inter se essentialiter distincti, & quasi oppositi, quapropter ex ratione formali vnius necessario sequitur negatio alterius formæ essentialiter distinctæ, ut patet in albedine, ex cuius ratione sequitur negatio nigredinis, & sic dicitur recte albedo dicit negationem nigredinis; ex quo fit quod ex modo essendi substantiæ necessario oriatur negatio existendi in alio, ut in subiecto.

6 Dices omnem proprietatem debere dicere aliquid positivum: ergo non esse in subiecto quatenus significat negationem non est proprietas substantiæ.

7 Contra, quia datur duplex proprietas, seu proprium aliud logicum, aut prædicabile quod constituit quartum prædicabile, & hoc debet esse passiva entitas, alia metaphysica proprietas est de cuius essentia, & ratione est quod competat omni soli, & semper &c. siue sit positiva siue negativa, ut est hæc, & per quam supra tradidimus definitionem descriptivam substantiæ.

8 Tertia proprietas est quod nullum habeat propriè contrarium, cuius definitio sic traditur ab Aristotele: contraria sunt quæ sub eodem genere maxime distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt, ut albedo, & nigredo; unde propria contraria sunt qualitates, cum autem substantia non sit qualitas, substantia non habet contrarium; hæc autem proprietas convenit substantiæ; secundo modo non vero quarto: explico, duplex est contrarietas, altera formalis, altera radicalis, formalis est cuius nunc definitionem tradimus, quæque semper est inter qualitates contrarias; radicalis est impossibilitas, & repugnantia, quæ versatur inter res quæ sunt radices contrariorum formalium, qualis est impossibilitas, & repugnantia inter aquam, & ignem, quæ sunt radices caloris, & frigiditatis; unde cum dicitur substantiam non habere contrarium, intelligendum est de formali contrarietate, non de radicali, & sic non solum substantiæ, sed etiam quantitati, & alijs convenit, quare non quarto, sed secundo modo est proprietas substantiæ; quod omne his verbis explicuit Aristoteles, *cap. substantiæ*, dicens, competit præterea substantiis, nihil ipsis contrarium esset neque ipsi homini, vel animali contrarium quidquam esse videtur, non tamen hæc substantiæ proprium est, scilicet

quarto modo) alijs enim competit, ut quantitati, bicubito enim, aut tricubito nihil contrarium esse videtur, neque ipsis decem, neque talium cuiquam adversatur, nisi quispiam multo paucio, aut magnum parvo dixerit esse contrarium; attamen nihil eorum quæ definitæ sunt qualitates cuiquam prorsus adversari videtur.

Quarta proprietas substantiæ est non recipere magis, & minus, id est substantia non est capax intensiōis, & remissionis, nec in substantia datur additio gradus ad gradum, ut in qualitate, & licet dicatur Angelus perfectior homine, nihilominus non est magis substantia, quam homo, quia ille excessus non est per intensiōem: sed per prædicata essentialia; nam dupliciter potest vnum aliud excedere, aut per prædicata essentialia, aut per intensiōem, qui duo modi excedendi diversi sunt; nam primus est transcendentalis in omnibus rebus, & ita convenit quantitati, qualitati, actioni, passioni, ubi &c. Secundus autem solus est propriusque qualitati. Exemplo sit ipsa qualitas, nam gradus ut vnum gratia perfectior est gradu, ut vnum caloris, & nihilominus gradus ut vnum gratie non est intensior calore ut sic; imo gradus ut duo caloris intensior est gradu ut vnum gratie, & gradus ut vnum caloris perfectior est gradu ut quatuor frigiditatis intensior est gradu ut vnum caloris, aut gratie: ecce quomodo sunt diversæ perfectiones intensiōis, & prædicatorum essentialium; unde negatio magis, & minus quæ assignatur ut proprietates substantiæ, non est maioris, & minoris perfectionis secundum prædicata essentialia, sed secundum intensiōem, quæ negatio non quarto sed secundo modo solum est proprietas substantiæ, quia convenit non solum illi, sed quantitati, & alijs hanc proprietatem sic docet Aristoteles, *cap. de substantia*. at vero substantia non suscipere gradus videtur ut sit magis minusve talis, atque non dico substantiam, substantia non magis substantiam esse (id est perfectiorem) hoc enim iam diximus ita esse, sed quamcumque substantiam, id ipsum quod est non dici magis, ac minus esse veluti substantia eadem homo sit, non est magis aut minus, aut seipso aut alio, homo, non enim alius alio magis homo est, perinde atque album aliud alio magis ac minus est album corpus item album magis album nunc quia prius, quare patet substantiam gradus suscipere non posse ut magis sit vnumquam id quod est atque minus, ecce omnes proprietates vel quasi proprietates omni substantiæ prædicamentali convenientes, quas ita ordine perfectionis aut proprietatis assignavi primam, quia positivum perfectius est negativo, primo nominativum ceteræ sunt negativæ, & ipsa positiva; intel negativas non esse in subiecto convenit omni soli, & semper, & sic strictior proprietas est, & id prius eam quam ceteras docui. Relictis autem his proprietatibus quæ solum primis, & solum secundis conveniunt.

Prima proprietas quæ solum primæ substantiæ convenit est, quam his verbis assignat Aristoteles, substantia autem quæ quidem propriè imprimique, & maxime sic dicitur, est quæ nec de subiecto aliquo dicitur, nec in subiecto aliquo est, ut quidam homo, & quidam equus, secundarum vero substantiarum magis substantia est species quam genus; propinquior enim est primæ substantiæ, ideo

ideo quod alijs omnibus subiiciuntur, & omnia alia de ipsis vel prædicantur, vel in ipsis sunt ea gratia primæ substantiæ maxime dicuntur, primæ substantia dicitur ab Aristotele magis substantia, quia magis substat, & magis sustentat; magis enim substat, quia pluribus quam secundæ substat, nam prima substantia substat secundis substantijs, & substat accidentibus; ipsi autem nullum substat; secundæ autem licet substat accidentibus, nihilominus ipsa sustentatur à prima, unde magis substat prima quam secunda; nam ut dixi, si secunda substantia substat accidentibus, prima substat, & secundis substantijs, & accidentibus; unde cum omnia sustententur ab illa ipsaque in se, & per se, & à nulla sustententur, inde est quod æquo iure maxime magisque substantia dicatur prima v.g. Deus dicitur causa causarum, & maxima magisque causa, quia & causat effectus causarum cæcturatum omnes, & præterea causat ipsas omnes causas creatas, sic similiter quia prima substantia, & substat accidentibus quibus etiam substat secundæ substantiæ, & præterea omnibus secundis substantijs, ipsa autem à nulla sustentatur, nullaque ipsi substat, ideo omnium maxima substantia omniumque sustentaculum dicitur, quod clare ait Aristoteles, dum dixit primæ substantiæ, ideo quod alijs omnibus subiiciuntur, ea gratia maxime substantiæ dicuntur, quod Patet Suarez his verbis confirmat.

Dicendum nihilominus est primam substantiam esse maxime, & per prius substantiam, non tantum in ratione sustentendi, sed etiam in ratione substandi, loquendo formaliter de actuali substantia, ut verbum ipsum sustentendi proprie sonat, ita sentiunt omnes interpretes Aristotelis, & est manifestum, quia illi primo convenit sustentere cui existere, & operari; sed hæc primo conveniunt singularibus, ut docuit idem Aristoteles in principio metaphysicæ: ergo unde D. Thom. q. 9. de potentia, art. 1. ad 4. simpliciter ait nihil sustentere nisi individua substantiæ, atque hoc quidem dicendum de reali actu substandi etiam respectu propriarum passionum, considerando enim tantum necessariam connexionem, quæ est inter essentiam, & proprietatem, dicitur proprietates per se primo convenire speciei, seu secundæ substantiæ, & non primæ, cuius sensus est adæquatam rationem talis proprietatis esse ipsam essentiam secundum esse, & non ratione individuationis vel particularis modi sustentendi, atque eodem sensu dicamus Petrum esse risibilem, quia est homo, & non è converso, solum enim per hanc locutionem significamus hanc proprietatem esse communem Petro cum alijs hominibus, habereque necessariam connexionem cum essentia hominis ut sicat vero loquendo de ipsa actuali inhaerentia, seu sustentatione accidentis etiam proprii, hæc semper convenit per se primo substantiæ individua ac primæ, atque ita risibilitas in re ipsa prius secundum rationem inhaeret Petro, quam homini, quia sicut esse, & agere, ita recipere primo ac per se convenit singularibus sustententibus.

11 Secunda proprietas solius secundæ substantiæ est quod ipsa significet hoc aliud, significare hoc aliud nihil aliud est quam dicere naturam quandam completam singularem substantia terminatam, quam rationem important omnes completæ, & primæ substantiæ, quia unaquæque est intrinsece singularis continens in se dictam R. P. Ildeph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

sustententiam proprie naturæ accommodatam.


Prima proprietas secundæ substantiæ solius est 12 ut significet quale quid, quod nihil aliud est, quam significare quidditatem substantialem primarum substantiarum, & quia illam significant per modum formæ, dicuntur significare quale quid, id est quidditatem qualem, id est per modum formæ, quia sunt prædicata primarum substantiarum, constitutivaque ipsarum, quod omne convenit secundis substantijs, aut adæquate ut speciebus infimis, aut inadæquate ut generibus, quia inadæquatam essentiam primarum substantiarum dicunt.

Secunda proprietas secundæ substantiæ est prædicari univocæ, & essentialiter de primis, id est quidditative, & æqualiter de illis; hæc autem proprietas non convenit quarto modo secundis substantijs, quia etiam convenit accidentibus universalibus, ut calori ut sic, respectu albedinis, & nigredinis.



DISPUTATIO X.

De predicamento Quantitatis.



QVÆSTIO I.

Quid sit Accidens ut sit.

SECTIO I.

Sententiæ Adversariorum proponuntur.

PRIMA sententia est Patris Hurtado 1 in metaph. disp. 13. sect. 1. sic definitis accidens ut sit: est conceptus rem in esse substantiali supponens, illamque perficiens; est enim accidens ab accido, quia iam rem supponit, cui accidit, sive accedit, substantia enim non accidit rei, sed eam constituit, aut complet; unde per se pertinet ad primum illius conceptum; accidens autem quia non constituit rem, sed vero opus est, ut tota substantia natura præcedat accidens, quantitas enim accidit toti completo, licet sit prior naturæ; quam forma substantialis materialis, præcedit enim non intentione, sed executione, ut materiam disponat ad integrum conceptum substantiæ, & licet formam præcedat, quia est extra totum conceptum compositi, ideo est accidens; ostendi enim disp. 10. accidens esse quidquid est extra totam rationem rei, sic ille.

Secunda sententia sit definit: accidens est ens 2 aptitudinaliter inhaerens, quia asserit inhaerentiam aptitudinalem esse de essentia accidentis ut sit. Hæc sententia est ita recepta in Thomistarum schola, ut iam quasi nefas sit ab ea discedere, iuravere enim illi per paludem Stygiam nunquam se ab ea recessuros: eam late tractat, & disputat Caietanus opusculo de ente, & essentia cap. 7. q. 15. Capr. in 1. dist. 42. q. 1. art. 3. ad primum, contra 5. & 6. conclus. Iandun. Hervæ. Egid. & alij.

Cccc 2 Proba